PETRI GODARTII
PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS,

TOTIVS PHILOSOPHIÆ *SVMMA*

In breuitate *Fæcundissima*, ordine *Luculentissima*, & suauitate Latinitatis *ornatissima*.

SVMPTIBVS AVTHORIS

PARISIIS,
Apud LVDOVICVM BILLAINE in Palatio Regio.

M. DC. LXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET DOCTORVM APPROB.

Ex dono Ill.mi D. Marci ab Altaemps pro Biblioth. S. Mariae Transtyberim in Urbe

NOBILISSIMO NECNON

INTEGERRIMO VIRO

NICOLAO POTIER

EQVITI

DOMINO D. DE NOVION

IN SVPREMA GALLIARVM

CVRIA

PRINCIPI INFVLATO,

ET INTER QVÆSITORES EXTRAORDINARII CONSESSVS IN AVERNIA SVPREMO PRÆSIDI CONSTITVTO.

PRÆSES ILLVSTRISSIME, *non tuæ fortunæ, aut gratiæ, non tui generis splendori; sed virtutis tuæ nobilitati, & excellentiæ, tuique nominis immortali gloriæ hocce sapientiæ, necnon in te obseruantiæ meæ specimen Dico, Voueo, Consecro. Id equidem persuadebant singularis quâ me honoras beneuolentia, & sincerus, quo te veneror animus, etenim is es*

quem genuit domus heroum ferax, iisque quibus tantorum virorum fors dotibus atque prærogatiuis insignitur, non te onerauit, sed ornauit, sed honorauit, sed & gloriâ, abundantissimè cumulauit. Vt ex sublimi amplitudine pretiosisque domus ornamentis Domini potestas, & imperium facilè designantur, similiter ex eleganti corporis tui venustate, tum vultus maiestate animæ tuæ dignitas, & excellentia corã omnium oculis euidentissimè patefacta manifestatur. Ex præclaris tuis facinoribus, & rebus egregiè gestis, ex onere, quod modò maximo cum honore apud Auernos facilè gestas generis tui splendor, iudiciorum æquitas, morum candor, & vitæ integritas certissimè demonstrantur. Es ille, non quem librat æquitas, sed qui libras æquitatem immotâ dextrâ. Te supra communem hominum sortem euehunt, dubijs, & anxijs temporibus incredibilis erga patriam pietas, inconcussa animi constantia, & tua in Regem nulli secunda fidelitas, eam in æternum

Pontisara ; quam cum aperto vitæ tuæ discrimine fortunatissimè ad Regis partes propugnandas adiisti, promulgabit, in eâ siquidem annuente Rege omniumque applausu, necnon meritorum tuorum virtute quasi alatus ad totius Senatus Protopræsidis dignitatem fuisti fœlicissimè elatus. Omnium animos, & amores ad te attrahit affabilis, & vix effabilis humanitas, & tua in tuos profusa benignitas; omnium admirationem rapit mirabile quod in te lucet, & ardet sapientiæ studium quo mereris ab omnibus scientiarum cultoribus æternâ laude commendari, & præsertim á me quippe qui sim tibi,

PRÆSES INTEGERRIME

Amplissimæque familiæ tuæ.

Cliens addictissimus P. GODART

LECTORI

DIVINÆ ſapientiæ *ſumma*, omnipotentiæque *virtus*, & *actiuitas* in tenuis formicæ conformatione manifeſtiùs eluceſcere deprehenduntur, quàm in ingentis Elephanti fabricæ conſtructione; diuinior profectò fuit illius artificis ſagacitas, & induſtria qui elegantes eâ dexteritate currum, equoſque adaptauerat, vt exilis alæ vnius muſcæ potuerint obtegi velamine, quàm illius opificis ars, & ſolertia qui immenſum ferè Rhodi coloſſum ære fuderat; etenim, vt plurimùm, res *anguſtiores*, ſunt *auguſtiores*; gemmæ quippe exiguitas præcellit craſſitiei, & ſilicis magnitudini; id etiam in ſermonibus animaduertere licet, non enim tibi ſatagendũ eſt quàm numeroſa, ſed quàm ponderoſa, non quàm prolixa, ſed quàm præclara tua ſit oratio, *virtus* quippe *vnita* eſt *vegetior diſperſâ*. vnde ſatiùs eſt multa comprehendere paucis, quàm pauca effutire multis. Quare rectè canit poëta.

Quicquid præcipias eſto breuis vt citò ſenſa
Percipiant animi Dociles, teneantque fideles.

Quapropter hic liber eò præſtantior eſt,

quo ſtrictiori Stylo rerum omnium amplam continet explanationem.

EÆ *quippe* ſunt *Deus*, *opera Dei*, *hominiſque operationes*; quorum omnium notitia, & expoſitio cumulatiſſimè huiuſce libri anguſtijs continetur.

Omne enim ENS eſt *reale* v. *rationis*; illud eſt *ſubſtantia*, v. *accidens*, illa eſt *corporea*, v. *ſpiritalis*; hæc eſt *Deus*, & *Angelus*, de iis omnibus luculenter, & accuratè agitur in Metaphyſicâ inſtitutione.

Subſtantia verò *corporea*, eſt *corpus naturale*, præſertim *homo*, de quo exacta notio habetur in Phyſicâ introductione, cum ipſa abſoluatur, & concludatur animæ rationalis contemplatione, cuius operationes, puta *voluntatis*, à morali; *intellectus* autem, à Logicâ manuductione ampliſſimè pertractantur.

Quamobrem debuimus ordiri à Metaphyſicâ ſynopſi quæ ſpeculatur *ens* eiuſque *inferiora* vſque ad *corpus* excluſiuè, at quia *corpus* eſt obiectum phyſicæ debuit ipſa immediatè Metaphyſicam ſequi; cum autem ex profeſſò *Logica*, & *Moralis* pertractent operationes hominis quas *animaſtica* delibat tantùm, *Phyſicæ* connecti debuerunt, ipſa autem *Moralis*, quia componit mores, præſtatque vt ratio ſuis

opibus ; puta *veritatis inuentione* delectetur, & liberiùs perfruatur, debuit præcedere compendium Logicæ, quod est aptissima dispositio ad commentarios Philosophiæ, scientiarumque omnium sine erroris formidine percipiendos.

Non ibi ad nauseam, & fastidium bis idem repetii, vt ij qui student suos auditores deludere verborum farragine; non verò ipsos rerum, & eruditionis amplitudine edocere.

Quapropter ex subiecto exemplo cape artem quâ possis sine cuiusquam ope quicquid hocce continetur in opere facilè comprehendere.

Definitur v. g. Philosophia *cognitio rei necessariæ per proprias causas.* Id vt intelligas necesse est te nosse QVID SIT *cognitio, res, necessarium, proprium, causa;* etenim distincta *totius* cognitio, exigit distinctam partium notitiam.

Nihilominùs ne cogerer idipsum multoties reponere, & lectoris sine fructu memoriam onerare non exposui afferendo supradictam definitionem quid foret *cognitio, res* &c. sed de cognitione in libris de animâ abundantissimè disserui, & ita de aliis suo loco pertractaui; id vt in promptu posses reperire composui *Indicem*, qui est in

calce huiuſce libri, in quō ordine alphabetico poteris facilé omnia quæ noſſe voles inuenire, puta in litterâ C. vbi agatur de *cognitione*, in littera R. in quâ paginâ tractetur de *Re*, & ita de cæteris.

In hocce Libro ſunt ſparſim Litteræ, n. quæ ſignificant *nempe*, p. *puta*, q. *quia*, ſ. *ſeu*, v. *vel*.

6

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI

AVTHORITATE Regis cautum est ne quis in regno suo, aliisve locis suæ Ditioni subiectis intra septem annos proximos librum qui sic inscribitur *Petri Godartii Philophiæ professoris totius Philosophiæ summa &c.* absque Authoris permissu imprimat, aut diuendat à Die publicationis horum exemplarium, qui secùs fecerit mulctâ indictâ. prout ampliùs in diplomate Regio contjnetur, coercebitur datum parisiis Die 11. Nou 1665.

sic signatum de mandato Regis
PVCELLE

Tradita fuere Exemplaria

NOS infrà scripti, in sacrâ Facultate Parisiensi; Doctores Theolgi, testamur legisse librum cui titulus est *Summa totius Philosophiæ, Authore* PETRO GODART, nec quicquam in eo deprehendisse quod bonis moribus, aut Religioni Catholicæ aduersetur. In cuius rei fidem subscripsimus. Datum Parisiis Die 28. Maij Anno Domini 1665.

M. GRANDIN. IAC. DE MAILLY
FR. CLAVD: FRASSEN Minor

MENDA SIC EMENDA.

Pag. 12. *sub medium*. Potentia actiua est ad vnum determinata diciturque Ratio &c.

sic lego potentia actiua est ad vnum determinata, & vocatur, NATVRA vt vis lucendi in Sole. v.

Indifferens ad opposita, diciturque RATIO, vt vis loquendi in homine.

Pag. 86. *sub finem* definitur qualitas &c. *transfer has duas lineas ad finē pagina* 87. *post hac verba* splendor appellatur.

Pag. 124. *sub med* sic & summi Pontificis &c. *ita lege,*

Sic & summi Pontificis est *decreta* constituere, vnde *decretales* dicuntur, & vniuersæ Ecclesiæ, vtpotè quæ recta sit & à Spiritu veritatis directa, *canones* instituere, hinc natum est &c.

Pag. 131. *lineā* 22. transfer *vltima verba immmediatè post hac* attamen à bonis laudari Decus est; vt à malis dedecus, ij quippe impios & ignaros quoque laudant.

Pag. 204. *sub init.* mixtum est legitimum medium; quia est consequens Angeli, *sic lege.*

mixtum, est legitimum *medium*; quia est *repugnans* Angelo, *consequens* corruptibilis.

P. 228. *sub medium*. & hæc pars Responsionis &c. *hanc lineam transfer ad* 12. *Lineam* eiusdem pag. *post hac verba* puta definitio sit clarior definito. *consequenter lege* & hæc pars responsionis pertinet ad minorem.

SAPIENTIÆ

Ode tricolos tetrastrophos

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Interminatis fulget honoribus,
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.
Merx è profundo pulchrior euenit,
Aurumque cusum splendidius micat;
Diroque fornacis liquatum
Igne, trahit Decus, & Valorem.
Dux in quietis temporibus latet,
Dux inquietis temporibus patet,
Dum marte profligat rebelles,
Magnanimus metit, & cateruas,
Occulta virtus quæ tenebris riget,
Hanc si lacessas feruidior viget,
Viresque depromit supra spem,
Atque animum Generosa prodit.
Intaminatum feruet edacibus,
Purumque flammis insidiantibus
Aurum, superbit firma virtus,
Dum Rutilans inimica sentit.

Esto Innocenti Murus ahæneus
Pallere nullo crimine, nil sibi
Conscire; nam qui damnat æquum
Mole ruet propriâ obruendus.
Iustus superstes victor erit potens,
Victor triumphans, flens miserabiles
Casus iniquorum, & ruinas
Quas subitò videt hos prementes.
Vt Gemma sordens fæcibus, insitum
Seruat nitorem; sic sapientia
Depressa, sublimisve floret
Perpetuo retinens decore.
Illâ potentes æquiter Imperant,
Et temperatè iustitiam regunt,
Illâ nocentes contremiscunt,
Atque bonus graditur beatè
Hæc cogitatis lumine splendida
Præest supernis, Turgida gloriæ
Est mater immortalitatis,
Virgineique parens amoris.
Desiderari, quidue cupi potest
Huic comparari non valet vspiam;
Quouis aceruo præstat auri,
Et pretiosior est smaragdis.
Quamuis supremo sit solio sedens
Demissa probris serpit inertia,
Languensque, Delati fauoris
Obruta pondere, defatiscit.

Semper beatus vir sapiens viret;
Et ridet expers sollicitudine,
Spernitque fortunæ caducas
Æquanimus, stabilisque fraudes.
Fixoque cautus lumine despicit
Effeminatos consilii Dolos,
Techenasque furtiuas serenâ
Mente, superciliòque ludit.
Quòcumque prudens vertitur, erigit
Cor, & secundis perfruitur bonis,
Immotus instar permanentis
Tetragoni residet quietus.
Et Diues extat, dum caret omnibus;
Cunctis abundans, pauper, & est inops,
Pacatus, & fœlix quiescit
Diuitiæ maneant, fluantve.
Nec spe mouetur, nec capitur metu,
Præsente gaudet sorte cupidines
Frænare, contentùsque viuit
Rege beatior æstimandus.
Nil præter eius consilium euenit,
Nam mens futuri conscia detegit,
Et præscit effectus latentes,
Quidve queant reserare causæ.
Vrbs fortis, orbis, solaque Ciuitas,
Degitque tutus per mare, per solum,
Astutus vt scit blandienti
Arte feras cicurare gentes.

IN TOTIVS PHILOSOPHIÆ INTRODVCTIONEM PRÆFATIO.

PHILOSOPHIAM ordimur ab Epitome (studiosi Sapientiæ candidati) ipsiusque immensum ferè corpus, sicut Geographi Terram, vnico intuitu (annuente cœlesti fauore) euidenter subijciemus; vt in propemodum infinitis, & veluti Dœdaleis difficultatum ambagibus, rationis, orationisque nostræ filum possitis tenere, nec temerè, sed certissimè ad elucubrationum vestrarum finem, & optabilem exitum queatis peruenire.

Tum quia quælibet doctrina, & methodus naturæ subsidium est, & imitatio; quælibet ars illius simia est, & æmula; vt enim natura Deum, similiter ars, naturam imitatur. Quamobrem quantùm fieri potest ad illius normam debet conformari: natura verò nihil producit derepente perfectum, sed opera sua primò summatim edita pedetentim absoluit; non enim auem parit, aut

pullum, nisi priùs ouum, pulli Compendium, efformauerit.

Quapropter optimus est doctrinæ in animis tyronum insinuandæ modus quo leui primùm, tum exactâ discussione singula pertractentur, quod (propitio Deo) fœliciter exequemur; vt non à fabulosis ignorantiæ delirijs, & obscuris aberrantium, & inertium ineptijs repetere; sed sapientiæ, opus alioqui desperatum, in veritatis splendore reperire valeatis.

Hinc Aristoteles noster, Categorias, totius Philosophiæ Summam: Porphyrius, Isagogen, Categoriarum Epitomen; Euclydes, Mathematicæ elementa; Hyppocrates, Medicinæ Aphorismos; Dorotheus, Theophilus, Trebonianus iubente Iustiniano Imperatore Iurisprudentiæ, institutiones, & alij disciplinarum principes suarum artium summulas primùm concinnauerunt.

Quandoquidem *breuitas* cum *claritate* memoriam, & *distinctio* cum *ordine* iudicium efformant, nos eorum vestigijs insistentes viam ad Aristotelis Philosophiæ adyta breui, & ordinatâ introductione præmuniemus, in quâ dilucidè totius Philosophiæ fundamenta ponemus, exponemusque *principia mole parua, virtute maxima*, in quibus erit *Breuitas, claritas, fœcunditas*; sine quorum notitiâ in veritatis indagatione turpiter hallucinari necesse sit; *error* enim *in principio leuis, grauissimus est in fine*. Quamobrem ne quis in lumine cæcutiat, & aberret à limine, quæ sumus hìc pertractaturi sedulò ediscere moliatur.

Sapientissimè Epicteto tota Philosophiæ vis duobus hisce continetur ἀνέχου, καὶ ἀπέχου. *Sustine*, ve-

ritatem scilicet & virtutem. *Abstine* à falsitate, nimirum, & vitio.

Clarius tamen dixero, πᾶσα τῆς φιλοσοφίας ἐνεργία ἐστὶν Ἀλήθεια, καὶ Ἀρετὴ, omnis Philosophiæ vis & energia est *Veritas*, & *Virtus*. Quæ sunt res tantæ dignitatis, & excellentiæ; vt quis dicere non dubitauerit, quod si per impossibile Deus foret quoddam compositum, eius, corpus esset *Lux*; anima, *Veritas*; *Virtus* verò vltima illius perfectio.

Quanquam duabus hisce rebus innixa fulciatur tota Philosophiæ ratio, eget tamen potiori, faciliorique terminorum expositione, & principiorum explanatione, quibus ipsius, immensitas, & amplitudo attentiùs expendatur, & apertiùs expandatur.

Igitur hic sigillatim, sed summatim tractandæ sunt illius partes, & priùs quidem agendum est.

DE PHILOSOPHIA VNIVERSIM.

PHILOSOPHIA *dicitur* quasi φιλία τῆς σοφίας *Studium Sapientiæ*; seu *vehemens*, *& assidua ad* Sapientiam *magnâ cum voluntate*, *& voluptate applicata occupatio*; etenim est amor sapientiæ sedulâ cum inquisitione coniunctus.

Hæc *doctrina* olim *Sapientia* nuncupabatur. Vnde septem qui ipsius laude in Græciâ floruerunt Sapientes fuerunt appellati.

Thales Milesius.	Pittacus Mitileneus,
Solon Saliminius.	Bias Prieneus.
Chilo Lacedominius.	Cleobulus Lindius,
	Periander Corinth.

Scientiarum tamen cœtus à Pythagorâ meliùs posteà Philosophia nominatus est; quod scilicet nostra eruditio adeò imperfecta sit, vt videatur potiùs ad *Sapientiam* nisus, & contentio, quam Sapientiæ quædam adeptio; quamobrem *quandiu homo sapientiam quærit sapit*, *non* enim *est mediocris sapientia pars sapere velle*, *cum autem se ad sapientiæ culmen peruenisse autumat desipit*; siquidem Tyronis, & non sapientis est se illius disciplinæ, cuius amplitudo, & altitudo infinita est, æstimare se apicem attigisse: Philosophiæ porrò, vt & illius obiecti infinitas est immensa.

QVID PHILOSOPHIA.

1. COLLECTIVE, est cœtus scientiarum omnium, & vocatur ἐγκυκλοπαιδία, id est *scientiarum circulus*. sicque est *Cognitio rerum Diuinarum*, *& humanarum per proprias causas*. Hoc modo Logica, est Philosophiæ pars, non Philosophia.

Res diuinæ sunt Deus, & opera Dei; *humanæ* sunt Operationes intellectus, & voluntatis

2. DISTRIBVTIVE, vt est genus scientiarum omnium; sicque *est cognitio rei necessariæ per proprias causas*.

Hoc sensu, *Logica dicitur* philosophia Rationalis; *Ethica*, Philosophia Moralis; *Mathematica*, Philosophia Quantitatis; *Metaphysica*, prima Philosophia nuncupatur.

Philosophia diuinitùs Adamo infusa fuit ad posteros, nimirum Chaldeos, Ægyptios, Iudæos, Græcos, Latinos, transfusa, & ad nos vsque diffusa.

DE PHILOSOPHIA
PHILOSOPHORVMQVE DIVISIONE.

PHILOSOPHIA *Infusa*, est quæ habetur infusione, *acquisita* verò, quæ eruditione *v.* Inuentione gignitur, *hæc* autem admiratione, & experientiâ comparatur.

Admiratio; quandoque est actus mentis rem aliquam ob singularem illius excellentiam æstimantis sic Christus Dominus, dicitur miratus fidem centurionis.

Propriè, est *desiderium cognoscendæ causæ cuius effectum nouimus.* Sic *Mirabiles*, dicuntur, *Elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

· *Qui nihil admiratur, aut omnia scit*, vt Deus; *aut omnia ignorat*; vt stupidus.

Experientia, est *comparatio multorum singularium memoriâ retentorum*, vt collatio plurium animaduersionum defectus lucis in Lunâ propter interpositionem terræ solem inter, & Lunam, & si quis multoties obseruauerit solem ad nos vsque radios non profundere quoties Lunam ipsum inter, & nostrum aspectum occurit; experimento nouit.

Defectus Lunæ varios, solisque labores.

Iterata sensatio, memoriam; memoria, experientiam; hæc verò principia gignit, vel præcepta; ex illis scientia speculatiua coaptatur; ex his scientia practica, vel ars componitur. hinc.

Per varios casus artem experientia fecit.
Exemplo monstrante viam.

Inde etiam euidentia quæuis, & certitudo mentis comparatur *vnde illud.*

Vt ſphæræ fortuna; cubo ſic inſidet Hermes:
artibus hic præeſt ; caſibus illa ſubeſt

Philoſophi varias in ſectas abiere.

Secta, *dicitur à* ſecando, *quod vel* multos in varias diuidat ſententias; *vel à* ſectando quod multi vnum aliquem in eâ ſequantur ducem.

Deſcribitur, multitudo hominum eandem diſciplinam, eademque principia propugnantium.

Princeps *ſectæ Italicæ* Pithagoras; *Ionica* Thales in Ioniâ natus; huic ſucceſſit Socrates, de quo illud extat oraculum.

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος Περικλῆς
Σοφῶν δ' πάντων σοφώτατος Σωκράτης,

Ex eius ſcholâ (vt ex equo Troiano) clariſſimæ Philoſophorum ſectæ prodierunt; nam eius diſcipuli fuerunt

1. *Anthiſtenes* Cynicæ ſectæ author, quem ſecutus eſt Zeno Cittiæus Stoicæ ſectæ inuentor.

2. *Plato Diuinus*, Academiæ veteris inſtitutor, quem audierunt Speuſippus, & Ariſtoteles; ille coluit, hic Academiam noluit.

Ariſtoteles, propter mirabilem ſingularis ipſius eruditionis copiam, ordinem, ſtylique breuitatem Philoſophi nomine à ſapientibus meritus eſt inſigniri, ἐστὶ γὰρ τῆς σχολῆς νοῦς, καὶ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος. Hinc eius doctrinam in Philoſophiâ, vt Tullij, aut Demoſthenis in Rethoricâ; Euclidis, In Mathematicâ; Hyppocratis, aut Galeni, in Medicinâ; vel Doctoris Angelici in Theologiâ authoritatem ſpernere, dementiæ eſt, aut ignaræ temeritatis.

ALTERA PHILOSOPHIÆ DIVISIO.

PHILOSOPHIA Stoicis, est Differendi subtilitas; vita, & mores; Naturæ obscuritas; *id est* Logica, Moralis, Physica.

Communiter, est actualis, *id est*, cognitio rei necessariæ &c. *vel* habitualis, *seu* facilitas cognoscendæ rei necessariæ per proprias causas.

Præsertim est speculatiua; *n.* Metaphysica, Physica, & Mathematica.

vel practica p. Logica, & Moralis.

Speculatiua, est quæ conquiescit in obiecti sui contemplatione, *seu* quæ cognoscit vt cognoscat; vt notitia *naturæ solis*.

Practica, est quæ obiecti sui proximi cognitionem refert ad opus, *seu* quæ cognoscit vt operetur; *vt scientia virtutis*; *de virtute*, quippe, *scire non satis est, sed enitendum est eam habere.*

Mathesis, *Describitur* scientia speculatiua quantitatis; ea suâ *iucunditate* summates, *vtilitate* populares, *subtilitate* allicit & sapientes.

Est pura *p.* Arithmetica, Geometria,

vel Impura; *n.* Musica, Optica, Cosmographia, Mechanica.

Pura, quantitatem vt abstractam ab omni qualitate sensibili; *Impura*, eandem vt Affectam qualitate sensibili contemplatur. *Hæc* impura *dicitur q.* ratione qualitatis sensibilis ad Physicam, respectu quantitatis ad Mathematicam pertinet.

Arithmetica numerum, vt & *Geometria* magnitudinem secundum se speculatur.

Musica, est ratio cognoscendi numerum vt sonorum; sicut Optica est habitus attingendi magnitudinem, vt visibilem.

Cosmographia, est scientia speculatiua mundi sensibilis; vt *Vranologia*, corporum cœlestium.

Astronomia conuersiones cœlestes in Sphæricâ, & Theoriâ planetarum; *Astronomia* vero influxus corporum cælestium, considerat

Mathesis spectat quantitatem *v.*

Secundum se, discretam, *& est* Arithmetica, *v.* permanentem, *& est* Geometria *v.*

Vt sensibilem, Discretam vt sonoram, estque Musica; *v.* permanentem vt visibilem, est Optica; vt mobilem, aut immobilem, est Geodæsia; terrenam est Geographia; aqueam, est Hydrolica, motiuam estque mechanica.

MANVDVCTIO
AD METAPHYSICAM.

SIQVIDEM, Philosopho, notitia vniuersalium præcedit cognitionem particularium; in hoc autem Compendio exponantur, & explicentur generalissimi termini, quorum explicatio, & expositio cuiuslibet scientiæ principia firmat, & illustrat. Idcirco à Methaphysicâ introductione scientias omnes, earumque Institutiones necesse fuit exordiri.

Metaphysica *dicitur* ἀπὸ τῶ μετὰ ϗ φύσικ; quod sit Inuentione posterior, & dignitate Physicâ superior.

Definitur scientia speculatiua entis realis completi abstracti ab omni materiâ.

Omnis materia est. 1.

Metaphysica ſ. rei perfectibilitas, vt in Angelo.

2. Intelligibilis ſ. quæ eſt partium diuiſibilitas, p. in circulo.

3. Senſibilis ſ. Affecta qualitatibus ſenſibilibus. *n.* in homine.

4. Indiuidualis, ſunt ipſa indiuidua; P. *Gabriel, Petrus* &c.

Ens *abſtractum ab omni materiâ*. Hîc eſt duplex.

Alterum quod ſine quâuis materiâ Metaphyſicâ vel intelligibili. Poteſt, *eſſe*; ſuntque res purè ſpiritales *nempe* Deus, Angelus.

v. *Concipi*, & ſunt rescommunes ſpiritalibus & corporeis; vt, *actus, potentia &c.*

Omnis ſcientia abſtrahit à materiâ indiuiduali, *nulla*, quippe, *datur ſcientia de indiuiduis*. Matheſis; à ſenſibili; conſiderat enim quantitatem. *Puta* circulum vt diuiſibilem, non vt calidum, aureum.

Non item Phyſica, nam ipſa ſpectat corpus vt calidum, durum &c. quæ ſunt qualitates ſenſibiles.

Metaphyſica abſtrahit ab omni materiâ etiam intelligibili, imò & Metaphyſicâ; ſpeculatur enim Angelum qui cum ſit ſpiritalis, prorſus eſt indiuiſibilis, & Deum qui caret quâlibet potentiâ paſſiuâ etiam mentali.

Res Phyſicæ ſunt ſecundum rem, & rationem in materiâ; vt *corpus*.

Mathematicæ ſecundum rationem tantùm, *vt circulus Mathematicus*.

Metaphyſicæ nec in eâ ſunt ſecundum rem, aut rationem; vt *Angelus*.

Compendium Metaphysicæ quatuor tractatibus absoluetur.

primus secundus tertius quartus	*erit de*	principijs causis proprietatibus speciebus	*entis vniuersim.*

TRACTATVS PRIMVS

DE PRINCIPIIS ENTIS VNIVERSIM.

PRINCIPIVM, est quid primum vnde res *est, fit*, vel *cognoscitur. Hinc triplex est; n.*

principium.	compositionis generationis cognitionis	*quod est quid primumvnde res*	componitur producitur cognoscitur

Principium pulli in *fieri*, est *ouum*; *in facto esse corpus*, & *anima pullina*; *quo cognoscatur, pippitus.*

DE PRINCIPIIS METAPHYSICIS TAM *IN FIERI*, QVAM *IN FACTO ESSE*

EA præsertìm sunt, *actus, potentia*; *essentia, existentia*; *entitas*, *modus*; *res*, *terminus*; *vniuersale, particulare*; *genus differentia, species*; *natura, indiuiduatio, singularitas*; *forma*, *subiectum*.

DE ACTV.

ACTVS, idem eſt ac *perfectio*; *actuare*, eſt *perficere*, vnde illud, *actus perficit potentiam. Differentia actuat genus.*

Actus, eſt *ſui*. v. *alterius*.

Actus ſui ſ. *completus*, v. excludit potentiam paſſiuam etiam mentalem. vt *Deus*. v. intelligibilem, vt *Angelus*, aut ſenſibilem, vt *circulus*: indiuidualem, vt *homo*. vel nullam vt *Petrus*.

Actus alterius, ſ. *qui eſt in alio*, eſt non productiuus; vt *pulchritudo*; v. productiuus, *eſtque* primus vel ſecundus.

Actus primus ſ. ἐντελέχεια eſt principium operationis: actus ſecundus, ſ. ἐνέργεια eſt operatio ipſa; vt viſio.

Actus, eſt primus ſimpliciter, ſ. principium cuiusvis operationis; vt *anima*. v. primus ſecundùm quid, ſ. principium cujuſdam operationis tantùm; vt *viſus*, viſionis.

Qui dormit videt in actu primo, *q. habet principium videndi*, n. *viſum*; *non videt in actu ſecundo*; q. *non actu elicit viſionem*.

DE POTENTIA.

POTENTIA, eſt actiua, ſ. vis agendi, vt *intellectus*; v. paſſiua: ſ. capacitas recipiendi; vt *docilitas*.

Potentia actiua v.

1. Exerit effectus non excedentes naturæ vires animâ concurrente; vt *viſus*, viſionem. Diciturque

vitalis; v. animâ non concurrente; vt forma lapidis descensum. Vocaturque simpliciter potentia naturalis.

2. *v.* Elicit effectus superantes naturæ vim, tuncque est *increata*, vt potentia quâ Deus producit lumen gloriæ, estque supernaturalis. v. *creata*; vt intellectus instructus lumine gloriæ, visionem beatificam, estque potentia obedientialis.

Potentia Actiua est ad vnum determinata, diciturq. ratio; *vt vis loquendi in homine* v.

v. *Indifferens ad opposita, & vocatur* natura; *vt vis lucendi in sole.*

Potentia passiua *v. est.*

Obiectiua *s.* mera rei non repugnantia, *vt possibilitas montis aurei.*

v. Subiectiua, quæ est idoneitas subiecti ad formam recipiendam *v.*

Entitatiuè supernaturalem, *vt capacitas animæ ad sanctitatem. v.* supernaturalem quoad modum; *vt oculus cæci nati, ad visionem*, estque obedientialis passiua. *v. est.*

Idoneitas ad formam naturalem recipiendam. *tuncque.*

Est merè receptiua, *vt capacitas humani corporis ad animam rationalem. v. est.*

Eductiua vt aptitudo marmoris ad figuram.

Potentia Emanatiua, quæ actiua videtur simul, & passiua. Est ea quæ nullius agentis exterioris ope aliquid in se profundit, vt *anima*, suas facultates, v. *aqua* natiuum frigus.

Potentia priuatiua, quæ & *indifferentia* dicitur, est actiua, vt *aptitudo* ad loquendum in tacente. *v.* passiua, vt *idoneitas ad figuram in marmore.*

Vtraque est proxima s. egens solùm vnicâ agentis & patientis mutatione; vt *visus dormientis*; remota egens multiplici mutatione; vt *visus mortui*.

Quod habet potentiam actiuam designatur nomine desinente in-*iuus-iua-iuum*. sic animal dicitur sensitiuum s. sensu perceptiuum.

Quod habet potentiam passiuam significatur nomine desinente in-*ibilis*, & -*ibile*. Sic planta dicitur sensibilis, id est sensu perceptibilis.

Actiuum, s. *perfectiuum*, est quid productiuum perfectionis, vt *Deus*.

Passiuum, s. *perfectibile*, est quid receptiuum perfectionis, vt *creatura*.

Aliquid est *actus*, s. *perfectio* vt calor.

Actu s. *existit*, vt hic mundus.

In actu s. quod debitam habet perfectionem, vt ignis calefaciens.

Aliquid est *potentia*, s. facultas; vt *intellectus*. potentiâ s. possibilitate vt *alter mundus* in potentiâ s. idoneitate ad perfectionem; vt *marmor ad figuram*.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA.

QVOD in Physicis, *natura*; in Logicis, *species*, vel *definitio*; id in Metaphysicis *essentia* s. *quidditas* appellatur.

Essentia est quid primum in re radix omnium illius proprietatum. *Vocatur*.

1. *Ratio entis*, q. est quid ratum in re per quod, res est id quod erat ante τὸ τί ἦν εἶναι.

2. *Quidditas*, q. respondetur dum quæritur *quid* rès *sit* adæquatè.

3. *Conceptus rei*, q. est id sine quo res accuratè ne-

quit concipi; vt *animal rationale* respectu hominis.

Essentia dicitur, id sine quo res nequit concipi; vt *viuens sentiens* respectu animalis.

Necessarium, id sine quo res esse nequit p. *tactu præditum* respectu animalis.

Hinc omne essentiale est necessarium, non vicissim, Risiuum, quippe, homini est *necessarium*, non *essentiale* q. ad eius essentiam non pertinet.

Existentia dicitur quasi actus sistens rem extra nihil.

Dicitur quoque *rei actualitas*; nulla, quippe, est rei non existentis perfectio.

Definitur, actus quo res est formaliter, & præcisè extra nihil. Vnde respondetur ad quæstionem quâ quæritur *an res sit*.

DE ENTITATE, ET MODO.

1. ENTITAS *Latè*, est quæuis realitas; sic Deus dicitur *entitas*.

2. *Propriè*, est multitudo partium integrantium dissimilium; sic in domo est *entitas*.

3. *Strictè* est multitudo partium similium. *v*. Substantialium; *vt in ligno*.

v. Accidentalium *tuncque est duplex*; *n*.

Extensiua, *s*. quantitatiua, quæ est extensio.

Intensiua s. intensio quæ est multitudo graduum eiusdem qualitatis in eâdem parte subiecti; *vt multitudo graduum lucis in eadem parte aëris*.

Entitas latè, propriè, & strictè, distinguitur ab essentiâ.

Nam, latè dicitur de quâlibet re, *p*. de *Deo*, de *Angelis*, de pede hominis &c.

Propriè dicitur tantùm de multitudine partium integrantium dissimilium, vt dum *dicitur* pigmeus entitatiuè differt à gigante.

Strictè dicitur solum de multitudine partium similium integrantium, vt de substantia ligni, de gradibus caloris &c.

Essentia verò *dicitur* tantùm de eo quod primò rem in suo esse constituit. v. g. *de corpore animato* respectu viuentis.

Hinc gigas differt à pigmeo entitatiuè, seu quantiuè, non essentialiter.

Modus latè dicitur quicquid determinat, sic differentia *dicitur* modus generis; vt *rationale*, respectu animalis.

Strictè, est id quod sic afficit subiectum vt ne diuinitùs quidem ab eo possit separatum conseruari; p. simitas seorsim à naso.

DE RE, ET TERMINO.

RES propriè, est quid non fictitium, *id est* quid actuale, v. possibile. *Sic aduncitas nasi* dicitur res.

2. *Strictè* & vt opponitur modo est id quod seorsim ab alio saltem diuinitùs existere potest, vt *albedo à pane.*

Terminus est id quod impedit ne aliquid vlteriùs citeriùsue progrediatur; *vt paternitas respectu filiationis.*

Definitur vltimum rei extra quod nihil est, & intra quod omnia continentur, sic subiectum, & attributum sunt termini propositionis. q. tota propositio ijs continetur.

Terminus actionis, *est* id quod per actionem producitur; vt *species expressa coloris*, respectu visionis coloris.

Quare terminus *distinguitur ab* obiecto; *calor enim est* terminus calefactionis, *non eius* obiectum; *color est* obiectum visionis, *non eius* terminus.

Vnde *verbum mentis*, vt producitur ab intellectione, est eius *terminus*, non *obiectum*.

Omne principium est terminus, non vicissim; nam vltimus dies mensis est eius terminus, non principium.

DE VNIVERSALI GENERATIM, *ET SIGILLATIM.*

VNIVERSALE, est vnum aptum inesse multis vniocè, & diuisim.

Dicitur vnum *definitione*, non *indiuisione*; *conformitate*, non *naturá*; *conceptu*, non *re*.

1. *Materialiter*, est natura communicabilis multis vniocè, & diuisim. p. *humanitas*.

2. *Fundamentaliter*, est eiusmodi naturæ conformitas. Vt *conuenientia* humanitatis Petri cum humanitate Pauli.

3. *Formaliter*, est vnitas, & aptitudo naturæ, communis vt insit multis vniocè, & diuisim. v. g. *Idoneitas humanitatis* vt insit Petro, Paulo &c.

Vniuersale Metaphysicum *est quintuplex*; *n.* genus, species, differentia, proprietas, & accidens commune; p. *albedo*.

Particulare, est quod partem capit vniuersalis; vt *homo* respectu animalis; etenim est solum *quodam*, non autem *omne animal*.

Genus, est vnum aptum inesse vniuocè, & diuisim multis specie, & numero differentibus, vt pars essentiæ communior materiæ respondens; p. *animalitas* homini, & bruto.

Differentia, est vnum aptum inesse multis specie, vel numero differentibus, vt pars essentiæ minus communis formæ respondens, vt *radix habendi duos pedes* in homine, & aue. *Rationalitas* in Petro, Paulo. &c.

Species infima, est vnum aptum inesse vniuocè, & diuisim multis solo numero differentibus, vt tota communis indiuiduorum essentia, vt humanitas Petro, & Paulo.

Indiuiduum, est quod sub specie infimâ directè collocatur. Seu natura specifica contracta per differentiam numericam; sic *Petrus* est humanitas contracta per petreitatem.

Omne indiuiduum est singulare, cum sit incommunicabile vt inferiori natura, *p.* Petrus,

At *non viciſſim.* Nam Deus maximè singularis est, nec potest esse *indiuiduum*. cum non sint possibiles plures dij numero diuersi: at indiuiduum exigit plura indiuidua eiusdem secum rationis; q. participat speciem; vt petrus naturam humanam.

Natura, est tota communis essentia; vt *humanitas*.

Singularitas, est incommunicabilitas essentiæ alteri tanquam inferiori; vt *incommunicabilitas essentia diuina alteri Deo.*

Indiuiduatio, est differentia numerica; vt *petreitas*.

De } proprietate / accidente } *dicetur in* { 3. / 4. *tract. huius comp.*

B

DE FORMA.

FORMA est interna, s. actus receptus in aliquo vt visio in vidente.

Externa, s. actus manans ab aliquo; vt visio, à visu. v. tendens ad aliquod; vt visio ad parietem.

Interna est *substantialis*, vt anima v. Accidentalis, hæcque est physica, vt visio v. Metaphysica; vt *Intellectio*.

Hinc denominatio est.

Interna	*quæ pe-*	*intrinsecâ*		amans
	titur à	vt		ab amore
Externa	*formâ*	*extrinsecâ*		amatus

DE SVBIECTO.

SVBIECTVM 1. *Logicè dicitur* primus terminus propositionis, quod *vocatur* subiectum simpliciter, *v.* inferius, *s.* subiectum attributionis *de quibus in Logicis.*

2. Metaphysicè *v.* Physicè, quod est quicquid aliud recipit. *Quod v. est* subiectum *denominationis* quod ab aliquâ formâ denominatur; vt *videns* à visione. *v.*

2. *Informationis* quod præsertim recipit in se formam substantialem; vt corpus animam.

3. Inhæsionis, cui inest accidens commune, *estque* proximum, quod nullo mediante recipit formam accidentalem; *vt* intellectus Philosophiam. *v.* remotum, quod alio mediante, *vt* anima rationalis eandem Philosophiam.

subiectum formæ	substantialis accidentalis	*dicitur* subiectũ	*simpliciter* *inhæsionis*

DE PRINCIPIO COGNITIONIS

ILLVD *est simplex*, s. signum; *v.* *complexum*, s. axioma.

Signum, est id quod facultati cognoscenti aliud à se repræsentat. *Hinc* nihil sui ipsius signum est. *Multiplex est*; *n.*

Naturale quod à naturâ habet vim significandi; vt *rugitus* Leonem. Estque *idem apud omnes.*

Arbitrarium, s. positiuum, quod ex instituto significat; vt hædera, vinum vænale, estq. *varium in varijs locis.*

Instrumentale, quod non ducit in notitiam alterius, nisi prius cognoscatur; vt *statua* HENRICI MAGNI, ad inuictissimi illius regis agnitionem.

Formale, est quod ignotum ducit in alterius cognitionem; vt *species luminis*, ad luminis visionem.

Indicatorium, quod manifestat rem quæ semper latuit; vt *sudor*, cutis poros.

Speculatiuum, quod non efficit id quod significat; vt Tubæ clangor, prælium.

Practicum, quod facit id quod designat; vt *boreas*, frigus.

rememoratiuũ *demonstratiuũ* *prognosticum*	quod nos ducit *in*	*memoriã* *cognitionẽ*	rei	*præteritæ* *præsentis* *futuræ*

Iris est signum *rememoratiuum* fœderis Deum in-

ter, & homines de nunquam futurâ vniuersali elu-uione: *demonstratiuum* nubis roridæ; *prognosticum* breui futuræ pluuiæ.

personale / *impersonale* } dicitur quod / non } gerit vices rei significatæ; *vt* { *legatus principis*, clāgor, *resp*. præl

Axioma, est *propositio famosa*, quæ tantùm eget *proponi*, non *probari*; q. digna est cui sine probatione fides adhibeatur.

Definitur, propositio prima, certa, & euidens etiam sine probatione; vt hæc *quodlibet est v. non est*.

Deus est, non est *axioma*; *q*. potest quis credere eius oppositum esse verum, *dixit* enim *insipiens in corde suo non est Deus*. Eget igitur demonstratione vt firmius, & euidentius cognoscatur.

Dicitur Effatum; q. sufficit illud *effari*, & *efferre* nec eius rationem *afferre*, vt illius veritas clarissimè declaretur.

Dogma, & propositio indubitata.

In { speculatiuis / practicis } *dicitur* { *principiū*, / *preceptū*, } vt { totùm est maius sâ parte. / suum cuique.

In { *Moralibus* / *Iurisprudentiâ* } *dicitur* quoq; { *sentētia* / *dictum* / *lex* } vt { bona bene *agier* / depositum reddendum

In politicis, verò *maxima*, vernaculè *maxime*; vt ſuprema lex eſto Reipub. ſalus & tranquillitas.

In rebus. { *diuinis* / *credendis* } *dicitur* { oraculum / articulus fidei }, vt { *extrema gaudij luctus*; / *Verbum caro factum eſt.* }

In triuialibus, & vulgaribus, *dicitur Prouerbium adagium p.* נבחר שם מעשר רב.
multa opulentia præ nomen melius

Id eſt, *bonne renommée vaut mieux que ceinture dorée.* οὐ δοκεῖν, ἀλλα εἶναι. μηδὲν αγαν.

Axioma *eſt.*

v. 1. commune omnibus ſcientiis, *eſtque v.*

Omninò primum; vt *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

v. Non omnino primum, *vt nulla eſt potentia cuius, actus eſt impoſſibilis.*

2. Peculiare alicui ſcientiæ, quod vni ſcientiæ tantùm conuenit; vt *contraria contrarijs curantur*, ſoli medicinæ.

Eſtque præcipuè triplex, n.

1. *Suppoſitio*, quâ prænoſcitur quod aliquid ſit; vt in Arithmeticâ, quod ſit *numerus*.

Scientia ſupponere debet non probare ſuum obiectum.

2. *Definitio*, ſ. principium quo prænoſcitur *quid res ſit*; vt quod *rectitudo* ſit extenſio breuiſſima à puncto ad punctum.

3. *Poſtulatum*, quo poſtulatur concedi, quod aliquid ſit, aut non ſit.

V. in ijs de quibus auditor nullam habet opinionem; vt quod *omnis linea ſit diuidua in duas partes æquales*.

V. Aduerſus quæ habeat contrariam opinionem, vt quod *continuum ſit diuiſibile in infinitum.*

TRACTATVS SECVNDVS
DE CAVSIS ENTIS VNIVERSIM.

CAVSA, eſt principium influens eſſe in aliud.

Influere eſſe, eſt communicare eſſentiam, & exiſtentiam; vt Deus, creaturæ.

Aliud, dicitur, quod habet eſſentiam, ſaltem numero diuerſam, ab aliquo; *vt ſol reſpectu luminis.*

Cauſalitas, ſ. *cauſatio*, eſt id per quod cauſa eſt cauſans, eſtque duplex, n.

Cauſalitas in *actu primo*, ſ. vis effectus productiua, vt *virtus calefaciendi* in igne.

Cauſalitas in *actu ſecundo*, eſt actualis productio effectus à cauſâ, vt emanatio luminis à ſole.

Conditio ſine quâ non, eſt quæuis diſpoſitio ad agendum, vel patiendum prærequiſita, vt *approximatio flammæ* ad ſtupam, & *exſiccatio ſtupæ* reſpectu inflammationis.

Effectus, eſt id quod in ſuo eſſe pendet à cauſâ.

Vocatur *cauſatum*, quod ſit opus cauſæ; vt *vas*, figuli.

Pendere in ſuo eſſe, eſt ab alio accipere eſſentiam & exiſtentiam ſaltem numero ab ipſo diuerſam, ſic Socrates pendet à Sophroniſco.

Hinc creatura ens dependens, Deus autem ens independens dicitur.

Principium diſtinguitur à causâ.

Quod v. non influat *eſſe*, vt ignorantia, reſp. ſcientiæ.

v. Non influat in *aliud*, vt pater resp. Verbi Diuini.

Nemo dat quod non habet. Hinc causa debet suum effectum continere, v.

1. *Formaliter*, id est ipsum habere in se secundum propriam rationem, vt *ignis* calorem.

2. *Virtualiter* s. effectum habere in se per aliquid præstantius, sed cum defectu, vt *sol* continet calorem, quia habet in se lumen caloris productiuum, quodque est quid calore perfectius.

Quod continet virtualiter, estque quid imperfectius; vt apes *prudentiam*; agit instar instrumenti.

3. *Eminenter*, est habere effectum, modo præstantissimo, s. sine defectu *vt* Deus calorem.

Nulla causa agit in distans non agendo per medium. Hinc debet suum effectum contactu attingere; qui duplex est n.

1. *Contactus suppositi*, quo substantia causæ tangit substantiam effectus, vt *ignis accendens ceram in se conjectam.*

2. Contactus virtutis, quo causa attingit effectum per virtutem à se diffusam; *vt sol producens aurum in visceribus terræ.*

DIVISIO CAVSÆ.

CAVSA est actualis, *v*. virtualis.

Virtualis, ea est quæ realiter ab effectu non distinguitur, vt *immutabilitas ab æternitate Dei, rationalitas, à facultate admirandi.*

Hæc dicitur causa q. affertur vt ratio alterius, non quod in id influat, nam immutabilitas non habet

essentiam ab immortalitate Dei diuersam, sed est ratio immortalitatis à priori, non item immortalitas respectu immutabilitatis.

Causa actualis, ea est quæ producit effectum realiter à se distinctum, vt ignis calorem. *Hacque duplex est;* n. causa per se. & per accidens.

DE CAVSA, ET EFFECTIBVS. *PER ACCIDENS.*

CAVSA per accidens, *dicitur* quæ minus idonea est effectui producendo, vt si musicus ædificet. *Hacque abusiuè dicitur causa.*

v. Quæ producit effectum præter intentionem. Tuncque est *fortuna* v, *casus.*

Fortuna, dicitur, causa rationalis aliquid producens præter intentionem.

Definitur, causa per accidens eorum quæ rarò contingunt in ijs quæ fiunt ex electione; vt is qui volens occidere inimicum aperuit vomicam insanabilem, eique restituit sanitatem.

Casus, est causa rationis expers aliquid producens præter intentionem.

Definitur, causa per accidens eorum quæ rarò contingunt in ijs quæ fiunt absque electione, *vt si penicillus præ indignatione proiectus à pictore spumam equi furentis exaret, quam ipse pictor suâ industriâ exprimere non valebat.*

Raritas effectuum æstimatur ratione circonstantiarum, quod scilicet positis talibus circonstantijs, vix talis effectus accidat. Non ratione temporis. Nam licet Eclypses Lunæ rarò contingant ratio-

ne temporis, non dicuntur casuales, aut fortuitæ q. positis iisdem causis, & dispositionibus semper producuntur.

Causa prima nihil fortuitò euenit nihil temerè ex eius officinâ prodit. Nihil etenim est quod non præuideat & ad quod non concurrat.

Effectus casuales, & fortuiti *dicuntur quoque casus, & fortuna*; *sic* mors improuisa, *dicitur* miserabilis casus.

Monstrum à *monstrando dicitur*, quod præ admiratione soleat *monstrari*.

Vocatur quoque prodigium quod natura non fit illius prodiga.

Definitur, opus naturæ insigniter deflectens à rectâ constitutione secundum speciem; *vt si homo nascatur caprinis pedibus.*

Peccata grauiter deflectentia à rectâ ratione, analogicè dicuntur monstra *in moribus*; *vt & opera notabiliter aberrantia à regulis artis monstra quoque nuncupantur.*

Fatum, à *fando* deriuatur; quasi fato fiat, quod quis determinatè præfatus est. Iuxta illud *semel dixit semper paret.*

Stoicis, est vis ineluctabiliter adstringens causas ad suos effectus, etiam Deum ipsum.

Astrologis, est connexio causarum efficaciam trahens ex constellationibus syderum, virtutibusque planetarum, quæ creaturas omnes ineluctabiliter moueat, ipsam quoque hominum voluntatem.

Propriè, est ordo causarum vnde certa sequitur euentorum series.

Boetio, est rebus mobilibus inhærens dispositio quâ diuina prouidentia, suis quæque nectit ordi-

nibus; attingit quippe, *à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*; res necessarias necessariò, liberas, liberè, & indifferentes indifferenter mouendo; nihil enim nisi secundum naturam facit, is à quo est omnis numerus & ordo naturæ; qui *omnia in numero, pondere, & mensurâ operatur.*

DE CAVSA PER SE.

CAVSA per se, est ea quæ producit effectum ad quem producendum à naturâ ordinatur; vt quercus, glandem; *v.* quem producere intendit vt architectus; domum. *estque,*

v. *Interna*, quæ est in effectu tanquam pars; vt hominis anima.

v. Externa quæ est extra effectum quem producit; vt architectus extra domum.

Interna duplex *n.* { Materialis. Formalis.
Externa triplex { Finalis. Efficiens. Exemplaris.

DE CAVSA FINALI.

FINIS mouet opificem; *quodlibet enim agit alicuius boni gratiâ*; opifex determinatur ab exemplari ad certam formam quæ in materiâ recipitur. Quamobrem rectè finis dicitur *causa causarum.*

Definitur, id cuius gratiâ fit, *v.* est aliquid. *Vt commoda habitatio cuius gratia fit v. est Domus.*

Multiplex est, *n.*

1. *Finis operantis*, *s.* is quem sibi proponit agens; vt *honor respectu Philosophiæ.*

2. F*inis operis*, est is ad quem opus naturâ suâ tendit; *vt Beatitudo nostra naturalis in Philosophiá.*

Finis proximus est qui immediatè obtinetur; *vt vt prælium respectu exercitus ordinati.*

4. *Remotus*, est is qui mediante alio comparatur; *vt victoria mediante* prælio.

5. F*inis cui*, est subiectum in cuius commodum cedit aliquod bonum; *vt homo respectu Philosophiæ.*

6. F*inis cuius gratia*, est bonum quod appetitur alicui ab aliquo; *vt studium quod appetitur discipulo à præceptore.*

7. F*inis quo*, est possessio boni, *vt inuentio veritatis in Philosophiâ.*

Causalitas finis, est *amor*, & vocatur *motio metaphorica.*

Si finis est absens, ea *motio* est *Allectio agentis à fine, & impulsio ad media*; si sit præsens, est *delectatio, & quies in fine possesso.* Nam finis p. *sanitas absens*, attrahit, *præsens* retinet.

Medium est id quo vtimur ad finem comparandum; vt *studium ad scientiæ adeptionem.*

DE CAVSA EFFICIENTE.

EA, *dicitur*, à quâ fit effectus; vt *faber à quo fit cathedra.*

Describitur, primum principium mutationis, & quietationis. *n. ordine executionis.*

Ea causa est multiplex. p.

1. *Vniuoca* quæ producit effectum eiusdem secum rationis; vt equus, equum.

2. Æquiuoca, quæ producit effectum diuersæ à se rationis; vt equus, mulum.

3. *Physica*, est quæ per se, aut virtute à se diffusa

producit effectum; *vt ignis calorem.*

4. *Moralis*, est quæ interpositione alterius, maximè agentis rationalis, producit effectum; vt qui *imperio*, *hortatione*, *v. precibus* mouet aliquem ad operandum.

Hinc motio est

Physica ad quam necessariò sequitur effectus; *vt calefactio*, *respectu caloris. v.*

Moralis ad quam liberè producitur effectus; *vt motio per gratiam.*

5. *Causa princeps*, est ea quæ propriâ authoritate, *f.* nomine, *id est* (*de son chef*) producit effectum; *vt sol lumen.*

6. *Instrumentaria*, quæ virtute causæ principis effectum attingit; vt penicillus imaginem.

6. *Instrumentum*, est causæ principis adiumentum; ita dictum, quod instruat opificem ad operandum. *Estque triplex n.*

supernaturale	quod in-	*gratiæ*		baptismus
naturale	seruit ad	*naturæ*	vt	calor
artificiale	opera	*artis*		penicillus.

Instrumentum *iterum est.*

v. *Coniunctum* quod nullius est efficaciæ nisi vnitum causæ principi; *vt manus, homini.*

v. *Separatum*, quod seiunctum inseruit causæ principi; *vt glans, quercui.*

7. *Publica*; est ea quæ cum vna sit diuersos specie effectus producere potest; vt *sol*, aurum, gemmas &c.

8. *Priuata f.* particularis, est ea quæ certo effectui addicta est; vt *vua*, vitibus.

9. *Totalis*, est ea quæ par est secundum se producen-

do id omne quod est in effectu; vt *sol* resp. luminis.

10. *Partialis*, quæ seorsim non sufficit effectui producendo; vt index, respectu horologii.

11. *Prima*, est quæ immota manens dat cuncta moueri. s. quæ est independens, nullamque supponit ante se causam; nam est *eâ à quâ, in quâ, ad quam sunt omnia*; vt solus Deus.

Triplex est eius operatio ad extra; *p. creatio.*

Conseruatio, s. continuata rei productio.

Concursus, id est simultaneus eius cum creaturis agentibus influxus. u. prævius quo movet ipsa caus

12. *Secunda*, est quæ mota mouet; s. quæ indiget influxu primæ vt operetur; qualis est *quæuis creatura.*

Causalitas causæ efficientis, est *actio.*

DE CAVSA EXEMPLARI. 2

EA, definitur, id ad cuius similitudinem aliquid fit ex intentione agentis; vt *vultus Regis* ad cuius similitudinem fit tabella ex intentione pictoris.

Imago, est id quod fit ad similitudinem alterius ex intentione agentis; vt *statua Henrici magni.*

Exemplar, est

1. *Naturale* s. forma quam effectus imitatur ex intentione agentis determinati ad finem; vt *ignis producens* respect. *ignis producti*, non item *exemplū.*

2. *Dianoëticum*+, est forma quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem; estque.

Externum, quod est extra artificem; vt *caracteres descripti* quos tyro nititur imitari.

Internum, quod est intra artificem; vt *imago domus* in mente architecti. Quam ipse imitatur;

+ id est mentale; propriè tamen eleutericum hoc est liberum.

Hoc propriè vocatur idea.

Quare quidam recentiores, Dialectica expertes, dum in libris quos de Logicâ scribunt, quibus ignarum vulgus, quod omni, *s.* potius nullo circunfertur vento doctrinæ, *deludunt ideas cum operationibus mentis imperitè confundunt.*

Imitatio, est id quo aliquid assimilatur; vel aliud assimilare conatur.

Quare duplex est; *n.* actiua, & passiua.

Causalitas causæ exemplaris, est imitatio passiua; vt *imitatio cultus Regis* qui exhibetur.

Agens imitatione suâ, exemplar imitatione sui effectum producit.

DE CAVSA MATERIALI. 4

EA est triplex; *p. in quâ, ex quâ, circa quam.*

Causa materialis in quâ (quæ subiectum simpliciter appellatur) est ea in quâ forma recipitur; vt *intellectus* resp. *scientia.*

Causa materialis ex quâ est.

1. *v. Compositionis* (quæ simpliciter *materia* appellatur) est ea ex quâ aliquid componitur, vt *argentum* respect. *Calicis.*

2. *v. Eductionis*, f. ex quâ forma substantialis, educitur; vt glans ex quâ fit quercus.

Aut forma accidentalis; vt *marmor*, ex quo educitur *figura.*

Formam educi, *est eam produci, & conseruari subiecto agentis actionem sustentante; sic* figura Iouis *producitur, & conseruatur concurrente* marmore *ex quo fit.*

Causalitas materiæ est receptio formæ in subie-

ꝭo; vt *recepti anima* in corpore.

Causa ma[illegible]ialis circa quam, vocatur *obiectum*

DE OBIECTO.

OBIECTVM, est id circa quod facultas, *v.* habitus suâ operatione versari potest;

vt	bonum	respect.	*apetitus, & appetionis,*
	domus		*architectura, & ædificationis.*

Vnde obiectum disciplinæ, *est id quod disciplina cognoscendum* objicitur *aut* proponitur. Estque

1. *Obiectum per accidens,* quod propter aliud consideratur; vt *vitium* in Morali propter *virtutem.*

2. *v. Obiectum per se,* s. id quod *sui gratiâ* consideratur; *estque totale, v. partiale.*

Totale, s. adæquatum, id est quod nec latiùs, nec angustiùs patet quam disciplina. Estque duplex n.

1. Obiectum communitatis, quod prædicatur in recto de omnibus quæ sunt in disciplinâ; vt *Ens Logicum* in Logicâ, *Nullinsque est vsus in scientijs.*

2. *Obiectum attributionis,* s. *adæquationis* quod in recto de speciebus, in obliquo autem de cæteris quæ in disciplinâ tractantur, prædicatur.

Definitur id quod primò per se consideratur, & cuius gratiâ cætera tractantur; p. *corpus vt sanabile* in Medicinâ.

Vnde à quibusdam vocatur res tractanda.

Tres sunt potissimæ illius affectiones. n. quod

1. Sit vnum, *saltem* vnitate analogicâ; *vna*, si-

quidem, *scientia vnius est obiecti* q. habet vnitatem à quo habet essentiam: at habet essentiam ab obiecto; scientia, quippe, specificatur ab obiecto.

2. Omnia ad ipsum reuocentur, vt *principia, species*, & *proprietates*.

3. Distinguat disciplinam cuius est obiectum à cæteris.

Sic *operationes mentis per regulas bene differendi ad veritatem dirigendæ, sunt obiectum adæquatum Dialecticæ*; q. *omnia quæ in ipsâ considerantur ad eas reuocantur*

1. *vt* Principia, p. *genus, differentia; subiectum, attributum; maior, minor, medius terminus, &c.*

2. *v.* Species; *v. g. apprehensio, iudicium, discursus &c.*

3. *Aut* proprietates, *n. veritas, certitudo, euidentia &c.*

OBIECTVM *partiale*, est pars obiecti totalis.

hacq. v. est { subiectiua / essentialis } vt { *panegyris.* / *vis persuadēdi* } { in Rhetoricâ.

P*ars subiectiua* est species nobilissima obiecti totalis; *hacque dicitur*, obiectum primarium; *vt Deus*; *v.* minus nobilis, *diciturq*; obiectum secundarium; vt *Angelus* in Metaphysicâ.

Perperam obiectum, cum *subiecto*; secundarium cum *objecto per accidens* confunditur. Nam *Veritas* est obiectum Philosophiæ, non eius subiectum, Angelus est obiectum secundarium Metaphysicæ, nec est eius obiectum per accidens; q. in eâ per se & propter se consideratur.

Pars

Pars essentialis est.

v. Obiectum materiale, s. *quod est commune pluribus disciplinis*; vt *operatio mentis* Logicæ, Morali, Physicæ. Hocque est *proximum*, quod immediatè spectatur à disciplinâ; vt *oratio* in Rhetoricâ. *v. remotum*, quod alio mediante attingitur; vt *res omnes* in Rhetoricâ.

2. *v.* Obiectum formale, est *ratio sub quâ* consideratur obiectum materiale in disciplinâ; vt *congruitas orationis* in Grammaticâ.

In practicis dicitur quoque *ratio quàm disciplina introducere nititur in obiectum suum materiale.* vt figura in marmor, *resp.* statuariæ.

Obiectum formale designatur his particulis, *vt, in quantùm, quatenus &c. sic*

Physica Mathematica Medicina	spectat corpus; *vt*, *quatenus*, &c.	Naturale. Mensurabile. Sanabile.

Obiectiuum Motiuum Terminatiuum	dicitur quod spectat ad	Obiectum mouens; Terminum

DE CAVSA FORMALI.

CAVSA *formalis propriè*, est ea per quam res est id quod est, & à cæteris distinguitur; est enim principium constitutiuum rei in se, & distinctiuum illius à cæteris. *Sic*

Figura Iouis, eius statuam *dispositio partium domus, domũ.* *anima rationalis, hominem.*	In se constituit & à cæteris distinguit.

Causa formalis totius per aggregationem, est *dispositio* eius partium ad proprium finem. sic *ordo* partium vniuersi ad manifestandam Dei gloriam, est mundi forma; vt *& dispositio* partium *resp.* horologij apta ad indicandas horas.

Forma statuæ, est *figura.*

Forma corporis naturalis, est substantia partialis cum materiâ totum per se constituens; *quicquid in contrarium delirauerit Democritus Atheorum Antesignanus.*

Forma Angelorum est essentialis eorum differentia.

Deus est ipsa essentialis & purissima forma.

Forma dat esse rei. Vnde essentia *dicitur* forma totius; *vt humanitas* resp. *hominis.*

Dicitur simpliciter dare esse, *non item eiusmodi* cæteræ causæ; q. dat esse intrinsecum, & specificum aliæ vero causæ dant *esse commune*, vt materialis; *v. extrinsecè*; vt finalis, efficiens, exemplaris.

Forma, vt causat, *intrinseca* est; v. extrinseca.

Intrinseca, v. dat esse *secundum quid*; vt albedo, albo; *v.* dat esse *simpliciter*, & *moueri*; vt *anima* viuenti. Prior est informans *accidentalis*; posterior vero informans substantialis.

Extrinseca v.	dat moueri tantùm; *vt nauta naui*, determinat agens ad certam formam	sic est *forma assistens. exemplar.*

Causalitas causæ formalis, est informatio actiua; s. communicatio formæ subiecto; vt informatio corporis ab animâ.

Causa finalis	est id	*cuius gratiâ.*	fit	*effectus.*
Efficiens		*à quo*		
Exemplaris		*ad cuius similitudinẽ.*		
Materialis		*ex quâ*	est	
Formalis		*per quam*		

Commoda habitatio, est *id cuius gratiâ* fit domus *ab* architecto, *ad* similitudinem alterius, *ex* lapidibus *per* debitam eorum dispositionem. *Non item*, per *architectum*, à *lapidibus*, *& ex dispositione*, &c.

Formaliter sumitur tribus modis, *n*.

Prout opponitur ei quod inest *virtualiter*, v. *eminenter*; inesse verò *formaliter* hoc modo, est inesse secundum propriam rationem. Sic *prudentia* formaliter inest, s. continetur in homine; virtualiter in apibus; eminenter in Deo. *vt dix. supra initio* huiusce tract.

2. *Quatenus opponitur ei quod inest materialiter, & subiectiuè.* Hoc *sensu* sumi *formaliter*, est spectari secundum formam; considerari verò *materialiter*, est spectari ratione materiæ, *s.* subiecti; *hoc* sensu *album* formaliter, est *albedo*; *album* materialiter, est *paries*.

3. *In quantum opponitur ei* quod inest *identicè*; sicque inesse *formaliter*, est inesse *essentialiter*, vt humanitas, *v.* rationalitas *petro.* Inesse verò *identicè* est alteri identificari, *s.* esse vnam, & eandem rem cum ipsâ *substantialiter*; vt rationalitas cum animalitate in *petro*, *v. accidentariò* vt albedo cum dulcedine *in lacte*.

Causa formalis totius per aggregationem, est *dispositio* eius partium ad proprium finem. sic *ordo* partium vniuersi ad manifestandam Dei gloriam, est mundi forma; vt *& dispositio* partium *resp.* horologij apta ad indicandas horas.

Forma statuæ, est *figura*.

Forma corporis naturalis, est substantia partialis cum materiâ totum per se constituens; *quicquid in contrarium delirauerit Democritus Atheorum Antesignanus*.

Forma Angelorum est essentialis eorum differentia.

Deus est ipsa essentialis & purissima forma.

Forma dat esse rei. Vnde essentia *dicitur* forma totius; *vt humanitas* resp. *hominis*.

Dicitur simpliciter dare esse, *non item eiusmodi* cæteræ causæ; q. dat esse intrinsecum, & specificum aliæ vero causæ dant *esse commune*, vt materialis; *v. extrinsecè*; vt finalis, efficiens, exemplaris.

FORMA, vt causat, *intrinseca* est; v. extrinseca.

Intrinseca, v. dat esse *secundum quid*; vt albedo, albo; *v.* dat esse *simpliciter*, & *moueri*; vt *anima* viuenti. Prior est informans *accidentalis*; posterior vero informans substantialis.

Extrinseca v.	dat moueri tantùm; *vt nauta naui*,	sic est	*forma assistens.*
	determinat agens ad certam formam		*exemplar.*

Causalitas causæ formalis, est informatio actiua; *f.* communicatio formæ subiecto; vt informatio corporis ab animâ.

Cauſa finalis		*cuiusgratiâ.*		
Efficiens		*à quo*	fit	
Exemplaris	eſt id	*ad cuius ſimilitudinē.*		*effectus.*
Materialis		*ex quâ*	eſt	
Formalis		*per quam*		

Commoda habitatio, eſt *id cuius gratiâ* fit domus *ab* architecto, *ad* ſimilitudinem alterius, *ex* lapidibus *per* debitam eorum diſpoſitionem. *Non item*, per *architectum*, à *lapidibus*, *& ex diſpoſitione*, &c.

Formaliter ſumitur tribus modis, *n.*

Prout opponitur ei quod ineſt *virtualiter*, v. *eminenter*; ineſſe verò *formaliter* hoc modo, eſt ineſſe ſecundum propriam rationem. Sic *prudentia* formaliter ineſt, ſ. continetur in homine; virtualiter in apibus; eminenter in Deo. *vt dix. ſupra initio* huiuſce tract.

2. *Quatenus opponitur ei quod ineſt materialiter, & ſubiectiuè.* Hoc *ſenſu* ſumi *formaliter*, eſt ſpectari ſecundum formam; conſiderari verò *materialiter*, eſt ſpectari ratione materiæ, *ſ.* ſubiecti; *hoc* ſenſu *album* formaliter, eſt *albedo*; *album* materialiter, eſt *paries*.

3. *In quantum opponitur ei* quod ineſt *identicè*; ſicque ineſſe *formaliter*, eſt ineſſe *eſſentialiter*, vt humanitas, *v.* rationalitas *petro.* Ineſſe verò *identicè* eſt alteri identificari, *ſ.* eſſe vnam, & eandem rem cum ipſâ *ſubſtantialiter*; vt rationalitas cum animalitate in *petro*, *v. accidentariò* vt albedo cum dulcedine *in lacte.*

Hinc duplex est prædicatio, *n. vna* identica, formalis *altera. de quibus in Logicâ sub finem tract. 2.*

TRACTATVS TERTIVS.

DE PROPRIETATIBVS ENTIS VNIVERSIM.

PROPRIETAS, est accidens necessariò manans ab essentiâ rei cui adæquatur; vt vis ridendi in homine, nec enim latiùs, aut angustiùs patet quam homo.

Omnis proprietas est *ab*, & *in* eo à quo inseparabiliter, & accidentariò procedit; vt *diuisibilitas* est in, *&* à *quantitate*, verbum mentis licet sit *in*, & *ab* intellectu separabiliter non est illius proprietas.

Hinc amor *non est proprietas intellectionis*; *cum non sit* in, *&* ab *intellectione*; *sed* in, *&* ab *appetitu.*

Proprietas entis *duplex est*; *n.*

1. *Simplex* quæ vnico profertur vocabulo, & sine disiunctione cum ente reciprocatur. Estque *primaria* quæ nullam supponit ante se, estque 3. p. *vnitas*, *veritas*, *bonitas*. *v. secundaria*, quæ præsupponit aliam; p. *intelligibilitas* quæ, veritatem; *optabilitas*; quæ sequitur bonitatem.

Complexa, est quæ pluribus exprimitur vocabulis, nec sine disiunctione cum ente conuertitur. Vt *contingens*, & *necessarium*.

Etenim non omne ens est *contingens*; nam Deus est ens, nec est *contingens*; nec omne ens, est *necessarium*; nam creatura est ens, & non est necessaria: *at rectè dicitur* omne ens est necessarium, *v.* contingens, & viciſſim.

DE SIMPLICIBVS PROPRIETATIBVS ENTIS.

DE VNITATE.

VNITAS, *præsertim* est.

1. *Indiuisionis*, s. indiuisio rei in se, & diuisio à quolibet alio. *Vnum*, est quid indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; sic *petrus est vnus homo*; Exercitus *propriè* non est quid *vnum*; q. diuiditur in multa. Nec digitus, cum non sit diuisus à manu: est pars vnius; non verè quid vnum.

2. *Conformitatis*, s. conuenientiæ est. v. *analogica*; sicu: *sanum resp.* pharmaci, vrinæ, & *animalis*. v. *vniuoca*, p. *generica*, quâ multa conueniunt genere; vt *homo*, & *brutum*; *petrus*, & *Bucephalus* resp. animalis. v. *specifica*, quâ multa solo numero differentia conueniunt specie; vt *petrus*, & *paulus* resp. hominis.

De vnitate, & differentiâ numericâ dixim. & dicemus alibi.

Vnitas, diuisioni *Identitas*, distinctioni *Simplicitas*, compositioni	opponitur

De his, vt & de vno per se, & per accidens dicemus modò.

Vnitati opponitur *multitudo*; hæc est vnitatum aceruus; vt hominum numerus.

Fit diuisione; vt cum chartam in frusta discindis. v. productione effectuum extra causas; vt multitudo glandium productione earum extra quercum.

DE VERITATE.

VERITAS, est rectitudo solâ mente perceptibilis.

Duplex est n.

1. *Veritas rei*, quæ *est* conformitas rei cum suis principijs; sic aurum obrisum, & defæcatum *dicitur* verum aurum q. in eo est *pondus*, *color*, *sonus*, ductilitas malleo, & alia auri principia.

2. Veritas signi, est conformitas signi cum re significatâ; vt *conformitas sermonis cum re significatâ*:

Ἁπλοῦς ὁ λόγος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

Ἄγει δ' πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

VERITAS *contra mendacium de antiquitate gloriatur.*

Propter vanitatem, ne deseras veritatem.

FALSITAS etiam est duplex (tot *enim* modis *dicitur* vnum oppositorum[1], quot & alterum) *n.*

1. *Falsitas rei*, quæ est difformitas rei cum principijs eius cuius speciem præ se fert; sic adulator, est *falsus amicus*; hæcque falsitas est priuatio; vt hyppocrisis, in pseudo-pio; v. *negatio* vt apparentia veri auri in aurichalco.

Sicut veritas, falsitati in Metaphysicis; *pariter* veracitas, *seu* habitus inclinans ad verè dicendum opponitur in Moralibus mendacio, *seu* habitui dicendi falsum.

Vt lucis splendor aquilæ visum oblectat; & lædit oculum noctuæ, quem vmbra delectat; similiter stolidos, *falsitas*, solidos verò animos sola recreat *veritas*; q. nunquam deficit, & mentem semper reficit.

DE BONITATE.

BONITAS *duplex*, *n.*

1. *Abſoluta*, quæ eſt rei *perfectio*, ſ. *integritas.* vnde *bonum abſolutum* idem eſt, ac *perfectum*, & dicitur, id cui nihil deeſt eorum quæ ad certam entis naturam requiruntur; ſic aurum *dicitur* bonum, cui non deeſt pondus, color, ſonus, & ſimilia quæ ad auri naturam requiruntur; *bonum*, enim *ex integrâ* cauſâ.

2. *Relatiua*, eſt vis perficiendi. Quare *bonum relatiuum*, eſt quid perfectiuum; vt aqua *reſp. piſcium.*

Ex virtute perficiendi, naſcitur ex parte rei bonæ, ſ. habentis inclinatio communicandæ ſuæ perfectionis, & ex parte carentis, conuenientia, & optabilitas.

Bonum relatiuum, non eſt cuilibet bonum; ſic *calor*, eſt *congruus* igni; *noxius*, aquæ.

conſiſtit bonum in	*modo*	*menſurâ*	quâ determinetur.
	ſpecie	*numero*	quo conſtituatur.
	ordine	*pondere*	quo inclinetur ad proprium finem.

MALITIA eſt *v.*

1. *Abſoluta* ſ. *imperfectio*, v. *defectus*, id eſt carentia perfectionis. *Malum abſolutè*, eſt quid *imperfectum*, *deficiens*, ſ. id cui deeſt aliquid eorum quæ ad eius naturam requiruntur; ſic aurum *dicitur* malum cui deeſt *pondus*, *color*; *v.* quid ſimile; *malum* enim *ex minimo defectu.*

2. Relatiua, eſt vis priuatiua perfectionis.

lor est malus aquæ; q. eam debitâ perfectione priuat.

Disconuenientia, ratio odibilis &c. sunt proprietates boni relatiuè spectati.

Malum relatiuè, non est cuiuis malum; nam licet calor sit malus aquæ, est bonus igni.

Malum in quantùm malum nihil est; malus enim amicus, non est amicus; malum aurum, non est aurum.

In malo est subiectum malitiæ, & absentia bonitatis. Hæc est malum formaliter, *s.* malitia, illud est malum materialiter.

DE COMPLEXIS PROPRIETATIBVS ENTIS.

COMPLEXÆ proprietates entis sunt plurimæ. *n.*

Purum, *non purum*; simplex, compositum; *totum*, *pars*; *finitum*, *infinitum*; *absolutum*, *relatiuum*; *contingens*, *necessarium*; *idem*, & *diuersum*.

Purum dicitur quod est expers alienæ naturæ, præsertim oppositæ; sic Deus est actus purissimus; & res expertes materiæ, dicuntur purè spiritales.

Non purum; s. non *putum*, *v.* non *merum*, est id quod habet admixtionem alterius naturæ, vt vinum aquâ dilutum, non est merum merum.

simplex *sumitur* { Logicè / Physicè / Metaphysicè } *vt opponitur* { complexo. / mixto. / composito.

Simplex Metaphysicè, est id quod caret compositione; sic Deus dicitur simplicissimus.

In { *Metaphysicis* { simpliciora { perfectiora
In { *Physicis* { sunt { imperfectiora

Simpliciter, dicitur; quod per *excellentiam* tale appellatur; sic *Deus* vocatur *ens* simpliciter.

Dici simpliciter, etiam est dici sine restrictione; sic Gallus dicitur albus simpliciter. Cui opponitur *secundum quid*; s. *cum addito*.

Vnde illud, à *dicto secundum quid*, ad *dictum simpliciter* non valet consequentia p.

Æthiops est albus secundum dentes
Ergo Æthiops est albus.

Compositio, est plurium partium simul positio ex quibus fit vnum; vt vnio corporis cum animâ ex quibus fit viuens.

DE TOTO, ET PARTE.

TOTVM *generatim*, est id cui nihil deest; sic dicitur, *totus Deus*. Hoc modo *totum*, idem est, ac *perfectum*.

Propriè, est id quod constat partibus; & ita *vocatur* compositum. *Sicque est ens, vnum, totum* v. *compositum* per se, *aut* per accidens.

TOTVM, *s.* vnum per se, est *v.* omninò simplex; vt *Angelus*. *v.* compositum ex partibus naturalem ordinem inter se habentibus, & eiusdem categoriæ; vt *viuens* quod componitur ex *corpore*, & *animâ*, quæ sunt potentia, & *actus* eiusdem generis p. substantiæ.

Quod constituit vnam naturam intrinsecè facit totum per se.

TOTVM *per accidens*, eſt quod conſtat pluribus naturalem ordinem inter ſe non habentibus, vel diuerſi generis; vt *calidum*; nam conſtat ex ſubiecto caloris, quod eſt ſubſtantia, & calore qui eſt tactilis qualitas.

Omne contiguum; Vt domus, v. *diſcretum*; vt exercitus, *eſt ens per accidens*.

TOTVM *iterum* eſt v.

Potentiale	quod ſuas partes continet	poteſtate
Actuale		actu.

TOTVM potentiale eſt v.

1. *Vniuerſale*, quod totum ineſt cuilibet ſuorum inferiorum, at non totaliter; vt *animalitas* homini, v. bruto.

2. *Cauſale*, quod eſt cauſa ſuos effectus fœcunditate continens; vt *Deus* reſp. creaturæ. Hinc dicitur entis plenitudo; creatura vero entis participatio.

TOTVM cauſale eſt. *v*. Totalitate cauſæ ſic effectus pendet ab omnibus cauſis ſimul ſumptis. *vel* totalitate effectus; ſic effectus pendet totaliter à causâ primâ, & à cauſâ ſecundâ; q. non licet vllam in effectu partem aſſignare quæ non ſit, & à primâ, & à cauſâ ſecundâ.

Totum actuale duplex eſt, p.

1. *Eſſentiale* quod conſtat ex partibus eſſentialibus Metaphyſicis; vt animal ex viuente, & ſentiente. v. phyſicis; vt homo ex corpore humano, & animâ rationali.

2. *Integrale*, quod conſtat ex partibus integrantibus; vt corpus humanum ex capite, pectore, & artubus.

DE PARTE.

PARS, *generatim* eſt,

Potentialis	quæ continetur in toto	poteſtate
Actualis		actu

Pars actualis, dicitur ea, ex quâ aliquid componitur. ſ. quæ eſt in aliquo, & præter quod eſt aliquid quod ſit eiuſdem; vt oculus in capite.

PARS potentialis, eſt.

1. *Effectiua*, ſ. cauſæ participatio; vt creatura reſpectu Dei; glans reſpectu quercus.

2. *Subiectiua*, quæ eſt inferius reſp. ſuperioris; vt homo, reſp. animalis, petrus reſp. hominis. Vnde *ſpecies* eſt quid particulare *reſp.* generis; *indiuiduum* reſp. ſpeciei.

PARS actualis, *eſt v.*

Integralis, quæ eſt entitatiua, ſeu corporea, vt partes materiæ; *v.* quantitatiua; vt partes circuli.

2. *Eſſentialis*, ex quâ eſſentia conſtituitur; vt *materia*, & *forma*; *genus*, & *differentia*.

Pars eſſentialis, ab integrante diſtinguitur quod, hæc in ſolis corporeis, illa etiam in ſpiritalibus; *hæc* ſit quid primum ſine quo res concipi nequit; *illa* ſequatur eſſentiam, & ſine quâ vt plurimum etiam res eſſe poteſt; vt pes ſine quo homo eſſe poteſt.

Pars, eſt *homogenea*, ſ. ſimilaris, quæ eſt eiuſdem nominis, & rationis cum toto; vt gutta aquæ; nam vocatur aqua, & in ea eſt tota aquæ eſſentia.

Pars heterogenea quæ eſt diuerſi nominis, & di-

uersæ rationis cum toto, & comparte; vt *manus*, resp. hominis, & capitis; non enim *manus* dicitur *homo*, v. caput.

Pars aliquota, est ea quæ multoties repetita absumit totum; vt binarius, aliquoties repetitus absumit duodenarium numerum. *Non aliquota*, quæ multoties repetita non adæquat totum; vt ternarius respectu denarij.

+siue ali-quanta

MVTILVM, est continuum permanens, diuisibile in partes dissimiles, cui sit detracta pars integrans in extremitate irreparabilis, sic *homo* dicitur mancus cui amputatum est crus.

DE FINITO, ET INFINITO.

ΠΈΡΑΣ finis quandoque idem ac perfectio; sic quodlibet creatum agit propter finem. Quandoque idem est ac defectus; sic finis regni est vbi deficit regnum.

FINITVM, est quod finem habet, ac terminum; vt quæuis creatura.

INFINITVM, *dicitur* quod fine caret ac termino.

Definitur, id ex quo secundum quantitatem accipientibus remanet semper aliquid accipiendum. Extra id quod sumitur; *estque duplex*.

1. *Categorematicum*, quod per se. & actu per id quod habet in se infinitum est; *vel* in omni genere, & per essentiam; vt *solus Deus*. vel in aliquo genere perfectionis; vt *linea*, si foret infinita.

2. *Syncategorematicum*, s. infinitum potentiâ, est id quod nequit habere suæ infinitatis complementum. Estque vnum per detractionem; vt *linea*,

v. *tempus* quod poteſt diuidi in infinitas partes. Alterum per additionem, quod ſemper creſcere, nunquam creuiſſe poteſt. Hocce *dicitur* infinitum ſecundummaximum, alterum verò ſecundum minimum.

DE ABSOLVTO, ET RELATIVO.

ABSOLVTVM, dicitur quaſi *quid ab alio ſolutum.* v.

1. *Vt à termino*, ſicque eſt id quod non definitur per ordinem ad aliud; vt *homo.*

2. *Vt à causâ*, & tunc eſt quid independens; vt *ſolus Deus.*

3. *Vt à ſubiecto*, tuncque eſt id quod non eſt in alio; vt *ſubſtantia prima*, p. Petrus.

Relativvm, eſt quod habet ſuum eſſe per ordinem ad aliud; vt *paternitas* per ordinem ad patrem. *Eſtque* duplex n.

1. *Eſſentiale*, *tranſcendens*, *ſecundum dici* ſ. *non mere relatum*, cuius relatio eſt de eſſentiá; vt *creatura*, cuius relatio ad Deum, eſt eſſentialis, & præterea includit aliquid abſolutum, *vnde* magis dicitur *relatiua*, quam quod ſit quid relatiuum.

2. *Accidentarium*, *categoricum*, & *ſecundum eſſe* ſ. mere relatum. Eſt id cui relatio conuenit accidentariò; vt *filiatio* homini genito.

DE NECESSARIO, ET CONTINGENTE.

CONTINGENS, *dicitur*; id quod [redacted] poteſt aliter, & aliter ſe habere; vt *ſedere* reſp. hominis.

NECESSARIVM, à *non cessando* dictum est, quasi illud nunquam cessare debeat.

Definitur id quod non potest aliter, & aliter se habere. *Estque necessarium absolutè, s. necessitate existentiæ*, est id quod ita est, vt impossibile sit non esse. *Hæc* necessitas soli Deo, diuinisque perfectionibus competit. Necessitas essentiæ, ea est quæ oritur ex indissolubili connexione attributi cum subiecto; quâ ratione, *animal* dicitur sensitiuum; hæc *n.* propositio est æternæ veritatis.

2. *Necessarium hypotheticum*, est quod ex alterius positione & suppositione sequitur. Estque duplex n.

1. *Necessarium simpliciter*, quod est id sine quo positâ quâdam conditione res haberi nequit; sic iter Romanum conficiendum est ei qui cupit Romam inuisere.

2. *Necessarium secundum quid*, s. *ad melius esse*, est id sine quo, res haberi potest; at non ita commodè; sic necessarius est equus ad eundum Romam.

Necessitas *iterum* est.

1. *Antecedens*, quæ præcedit liberum voluntatis nostræ consensum; quâ necessitate homo est mortalis.

2. *Consequens*, quæ sequitur liberum voluntatis nostræ nutum; sic necessarium est loquentem loqui.

Necessitas iterum est.

1. Quoad specificationem quâ aliquid est determinatum ad actus talis speciei; vt lapis appensus ad descensum.

2. *Quoad exercitium*, est ea quâ quid est determinatum ad eliciendum hic & nunc actum; vt

lapis appensus cui resecatur filum quo detinebatur.

DE EODEM, ET DIVERSO.

IDENTITAS, *sumitur.*

1. *Propriè*, & vt opponitur diuersitati, estque conformitas, *s.* naturæ vnitas; sic Petrus, & Paulus sunt ijdem in humanitate.

2. *Strictè*, & vt opponitur *distinctioni*, est vnitas quasi plurium. *s.* Eiusdem rei secum; vt *v.* identitas accliuis, & decliuis in monte. *v.* est vnitas plurium sic Matrona, & Sequana Parisijs sunt idem fluuius.

Idem esse, est esse vnum cum alio; sic idem imperator est Rex Bohemiæ, Hungariæ, & Archidux Austriæ.

Diuersitas, est naturæ difformitas; vt disconuenientia inter naturam, humanam, & equinam.

Diuersa, dicuntur, quæ non sunt eadem. Hæcque sunt.

1. *Differentia*, quæ partim sunt eadem, partim sunt diuersa; vt homo, & brutum; sunt enim eâdem ratione *animalitatis*, diuersa verò respectu *rationalitatis*.

2. *Primò diuersa*, sunt quæ in nullo conueniunt; vt *corporeitas*, & *spiritalitas* sunt enim rationes diuersitatis, n. differentiæ, per quas vnum differt essentialiter ab alio.

3 *Disparata*, sunt quæ ita pugnant vt simili modo cum alijs pugnare possint; vt *albedo*, & *dulcedo*.

DE SEPARATIONE, ET DISTINCTIONE.

SEPARATIO Logicis est negatio, seu oratio negans. Abstractio verò, est cognitio vnius seorsim ab alio; vt cognitio albedinis, seorsim à dulcedine. *Vnde* illud *abstrahentium non est mendacium.*

Separatio Physicè *v.* Metaphysicè, est negatio, *v.* priuatio vnionis inter plura; vt inter *Petrum*, & *Paulum*. *v.* eius *corpus*, & *animam* dum viuit.

Distinctio, & negatio vnitatis, seu identitatis. *Inter diuinas personas est realis distinctio sine separatione, diuersitate, aut differentiâ essentiali, vel accidentariâ.*

DISTINCTIO duplex est *n.* realis, & rationis.

Distinctio realis, est ea quæ præcedit mentis operam. Estque duplex, *n.*

1. *Maior*, quæ intercedit inter ea quorum vnum potest esse sine altero, & vicissim, *v.* quæ sunt diuersa supposita; *f.* quorum vnum est principium alterius; vt distinctio *Philippi* ab *Alexandro*.

2. *Minor*, est ea quæ intercedit inter ea quorum vnum potest esse sine alio, non vicissim; vt distinctio *simitatis* à *naso*.

DISTINCTIO rationis, est distinctio eiusdem à seipso, & est *v.*

1. *Rationis ratiocinantis*, f. sine fundamento, quæ *nugatoria* propter eius inanitatem appellatur; vt distinctio *vestimenti* ab *indumento*.

2. *Distinctio rationis ratiocinatæ*, f. *fundata*, est distinctio eiusdem à seipso cum fundamento, & illud est *quadruplex*, *n.*

1. *Rei*

1. *Rei perfectio* tanta, vt vnico conceptu intelligi nequeat. Quare rem simplicissimam quasi multiplicem cogimur apprehendere; puta *misericordiam*, & *iustitiam* in Deo.

2. *Effectuum diuersitas*; sic eandem misericordiam à iustitiâ Dei distinguimus ob varios earumdem effectus.

3. Multiplicitas terminorum; sic distinguitur via Athenis, Thebas; Thebis, Athenas.

4. *Separabilitas* in rebus alijs; sic misericordiam, & sapientiam in Deo distinguimus quod separentur in creaturis.

Distinctio virtualis formalis, vt aiunt, ex naturâ rei quâ Dei perfectiones à nonnullis dicuntur distingui nemine cogitante, est solùm distinctionis fundamentum, & occasio, non vera distinctio; nam Dei *misericordia*, & *iustitia* antequam mens cogitet non distinguntur, sed sunt mente distinguibiles.

Distinctio *rursus est*.

1. *Adæquata*, quæ intercedit inter ea quorum vnum non est pars alterius; vt inter *Petrum*, & *Paulum*, animal, & rationale.

2. *Inadæquata*, est quæ reperitur inter ea quorum vnum est pars alterius; vt inter *hominem*, & *animam rationalem*; *v.* inter *hominem*, & *animal*.

Ex distinctione, & vnitate nascitur *ordo*.

DE ORDINE, ET PVLCHRITVDINE.

ORDO, est apta plurium dispositio secundùm priùs, & posteriùs.

Posteriùs, est id quod magis recedit à primo; vt

qui magis distat à *chorago*, est posterior in *Tripudio*.

Priùs, dicitur, quod magis accedit ad primum; vt secundus à chorago, est prior in choreâ.

Primvm, est id ante quod nihil est, & post quod sunt cætera; vt in *saltatione*, dux Tripudij.

Quod est primum in vno quoque genere est causa, & mensura cæterorum, & maximè id quod est; vt Deus; *etenim* est *maximè ens*; & omnium entium creatorum mensura, & causa.

Mensura hìc, est id vnde rei perfectio dignoscitur.

Definitur id ad quod quò magis res accedit perfectior, & à quo quantò magis recedit imperfectior habetur. Sic *Angelus*, est *homine* perfectior; *homo*, *brutis*; q. *Angelus* magis accedit ad primum ens; p. *Deum*, quam *homo*; *homo*, quam *brutum*; hocque est homine imperfectius; q. magis à Deo distat, quam homo.

Orro *duplex* est; n.

1. *Actiuus* qui est ratio ordinis in mente ordinantis; sic *lex* est ordinatio societatis ciuilis.

2. *Passiuus*; est dispositio rebus ordinatis inexistens; vt dispositio partium vniuersi in mundo.

Vterque duplex est. p.

1. *Naturalis*, qui est a naturâ; *vt* inter *hominem*, & *brutum*.

Arbitrarius, qui est ex hominum instituto; vt *ordo militum*.

Ex vnitate, bonitate, cognoscibilitate oritur pulchritudo.

Pvlchritvdo, à *Platone*, dicitur, *flos bonitatis*; *splendor*, s. *radius boni*. A nonnullis, *imperium sine satellitio*.

Describitur bonitas distinctè, & iucundè cognoscibilis.

Non omnia bona dicuntur pulchra; dicimus enim *suaues odores*, *gratos*, *sapores*, *non pulchros*; q. distinctè à nobis non cognoscuntur.

PVLCHRITVDO, est *v.*

1. *Intelligibilis*, quæ est mente perceptibilis; vt *Dei* splendor, honestas virtutis.

2. *Sensibilis*, s. sensu perceptibilis. *Estque visibilis*; vt luminis nitor, decor Priami, species Helenæ.

Audibilis, vt canorum harmonici concentus melos.

Hæcque tantùm est duplex sensibilis pulchritudo; q. *visu* solùm, & *auditu* res sensibiles clarè, & distinctè cognoscimus. Alij, *quippe*, sensus in nobis sunt hebetiores, & obtusiores.

TRACTATVS SECVNDVS
DE SPECIEBVS ENTIS *METAPHYSICI*.

SPECIES entis Metaphysici, sunt analogicæ. ENS, dicitur quicquid extra nihil est, *v.* esse potest. *Estque duplex.* n.

REALE, quod existit *v.* existere potest independenter à mente; *vnde duplex est.* p. *actuale*, quod est extra nihil; vt hìc mundus. *Possibile* quod existere potest, s. quod est in fœcunditate suæ causæ; vt alter mundus.

2. *Ens rationis*, dicitur quicquid ad rationem pertinet, *& est triplex* p.

1. *Effectiuum*, quod est effectus procedens à ratione; vt à causâ efficiente; *vt statua.*

2. *Subiectiuum*, s. forma recepta in mente tanquam in subiecto; vt *verbum mentis*, *intelligentia* &c.

3. Obiectiuum, est id quod menti obiicitur, estque *non purum*, & est aliquid reale conceptum; *vt* hic *v.* alter mundus. *Purum*, est quid fictitium s. quod est tantùm obiectiuè; vt *hirco-ceruus*, vocaturque, ens rationis chymericum, & propriè dictum.

Ens reale est, *substantia*, v. *accidens.*

DE ACCIDENTE.

ACCIDENS est triplex p.

1. *Physicum*, & vt opponitur *substantiæ*, p. *albedo*, estque simpliciter accidens.

2. *Logicum*, quod opponitur necessariò, & idem est ac *contingens*; vt vestis *resp.* petri. Quod non realiter ab alio distinguitur si sit quid aduentitium vt *similitudo* resp. parietis albi, *dicitur* quoque accidens Logicum.

3. *Metaphysicum*, & vt opponitur essentiæ sic risiuum homini accidentarium est; q. non est de essentiâ hominis.

Accidens strictè, & verè, s. accidens simpliciter. *Definitur* ens inhærens.

Inhærens, dicitur quod est in alio non tanquam pars ita vt impossibile sit esse sine eo in quo est, non viciſſim; vt nigredo potest esse sine Ebeno; homo sine Grammaticâ; licet nigredo Ebeni naturaliter nequeat esse sine Ebeno, & Grammatica sine

homine. Quare *risiuum* non inhæret *homini*; q. impossibile est *hominem* esse sine *risiuo*, & risiuum sine homine. *Albedo* verò inhæret homini q. albedo potest esse sine *homine*; & *homo* sine *albedine*.

DE SVBSTANTIA.

SVBSTANTIA, est ens per se, & est multiplex, p.

1. *Completa*, quæ non est nata ingredi compositionem *totius per se*; vt Angelus.

2. *Incompleta*, est ea quæ nata est ingredi compositionem *totius per se*; vt anima rationalis.

3. *Prima*, est ea quæ singularis est; vt *Petrus*.

4. *Secunda*, est substantia vniuersalis; vt *homo*.

Subsistentia, est ea per quam substantia est incommunicabilis alteri, *v.* vt accidens subiecto; & sic *albedo* non subsistit, sed *anima*. *v.* vt pars toti, & sic *anima* non subsistit; sed *viuens*; *v.* vt superius inferiori, & sic *viuens* non subsistit, sed hæc *humanitas*. *v.* vt supposito, & sic *humanitas* Christi Domini non subsistit *q.* vnitur hypostaticè alteri supposito, *p.* Verbo diuino. *Petrus* verò subsistit, *q.* non est in alio; vt accidens in subiecto, vt pars in toto, vt superius in inferiori, *v.* vt quid ignobilius in alio nobiliori supposito, sed omnia sunt in ipso; vt in subiecto inhæsionis, attributionis, *v.* denominationis, & sic habet vltimum substantiæ complementum.

Subsistentia propriè definitur, vltimum substantiæ complementum, eam reddens alteri incommunicabilem tanquam supposito Hinc *humanitas* Christi Domini non subsistit.

Suppositum, est substantia vltimatè per se completa, *s.* natura subsistens; vt Bucephalus.

Persona, est suppositum intellectuale, seu substantia incommunicabilis intellectualis naturæ: vt Gabriël.

5. *Substantia* corporea, est ea quæ in suo esse pendet à materia, puta corpus.

6. *Incorporea*, seu spiritalis est ea quæ in suo esse non pendet à materia, puta Spiritus.

Tres sunt eius facultates, *n.*

Intellectus, seu facultas cognoscitiua spiritalis; vt potentia, quâ noscuntur rerum essentiæ.

Voluntas, *s.* facultas appetitiua spiritalis; vt propensio in res honestas.

Voluntas, est liberi arbitrij sedes.

Liberum arbitrium, est vis electiua.

Vis motrix, est facultas se se mouendi.

Substantia spiritalis est creata, vel increata.

Creata est incompleta; vt anima rationalis, *v.* completa, vt Angelus.

DE DEO, ET ANGELIS.

ANGELI alii sunt boni qui gratiam, & sanctitatem à Deo conditore acceptam seruauerunt.

Dicuntur nuntii, quia Deus iis vtitur ad suas voluntates hominibus manifestandas; facit enim spiritus Angelos suos.

Mali, sunt qui suâ in Deum perduelli rebellione exciderunt è gratiâ, & sanctitate per creationem acceptâ; *ideoque* vocantur dæmones simpliciter, id est scientes.

Bonorum tres sunt hierarchiæ in nouem ordines distributæ.

Hierarchia, est cœtus sacrarum personarum sub aliquo supremo principe.

Ordo, s. chorus, est specialis in eâdem Hierarchiâ collectio personarum muneris similitudinem habentium.

In 1ª. Hierarchia sunt Seraphini, amore Dei præstantes; Cherubini, scientiâ Dei eminentes; throni, diuinæ maiestatis sede pollentes.

In 2. Dominationes, Virtutes, potestates, quibus incumbit patrare miracula, & Angelis infimæ Hierarchiæ, quæ circa homines exequenda sunt præscribere.

In 3. Principatus, Archangeli, Angeli præfecti custodiæ principium, & rerum, tam publicarum quam priuatarum.

Substantia spiritalis creata, est DEVS, qui quidem EST qui EST, Ens à se, imò superens, ipsaque per quam-maximè supereminentissima purissimæ perfectionis actualitas, excellentia, & vltimus apex, equidem omnem creatæ cogitationis aciem infinitè vltra modum exuperans.

CVI SOLI

SEMPITERNVS HONOR, ET GLORIA.

ENCHYRIDION

TOTIVS PHYSICÆ.

PHYSICA, *dicitur* ἀπὸ τῆς φύσεως quod naturæ; rerumque naturalium ſit contemplatiua. *Eſtque duplex p.*

Hiſtorica	quæ corporum naturalium	*Hiſtoriam continet*
Æthiologica		Cauſas affert.

Hæc, *definitur*, ſcientia ſpeculatiua corporis, vt naturale eſt, ſ. conſtans naturis; id eſt materiâ, & formâ.

Quatuor erunt illius tractatus.

primus	erit de	principiis	*tres primi ad generalem; vt quartus ad particularem Phyſicã, ſpectant*
ſecundus		cauſis	
tertius		proprietatibus	
quartus		ſpeciebus corporis naturalis	

TRACTATVS PRIMVS. DE PRINCIPIIS CORPORIS *NATVRALIS.*

PRINCIPIA corporis naturalis *ſunt tria; n.* 1. *Cognitionis*; p. *motus*; ſic vegetatio, germinatio. Eſt aliquid primum quo cognoſcitur vita in plantis, quam qui in iis negat, vt & in brutis, vi cogendi ſunt, non ratione docendi; vt qui prima morum præcepta *inficiantur*, non ad ſcholam, aut ſtabulum; ſed ad patibulum ſunt adigendi.

2. *generationis*	} hæc ſunt v.	{	Interna
3. *compoſitionis*			Externa

Externa, ſunt ea ſine quibus concipi poteſt *compoſitio*; *v. generatio* corporis naturalis.

Ea ſunt finalis, efficiens, & illius cauſa exemplaris. De quibus modò.

Interna, ſunt ea ſine quibus generatio, *v.* compoſitio corporis naturalis, nec eſſe, *v.* concipi poteſt. in fieri *Definiuntur*, ea quæ neque ex ſe ſe inuicem, neque ex aliis, ſed ex quibus omnia corpora naturalia fiunt, aut primò per ſe componuntur; puta *forma ſubſtantialis* non fit, aut componitur intrinſecè ex aliâ formâ, aut materiâ, *v.* priuatione.

Ea tria ſunt *materia*, *forma*, & *priuatio*; nam generatio hîc eſt tranſitus *à non eſſe* ſubſtantiæ, *ad eſſe* ſubſtantiæ *in ſubiecto*, at *non eſſe* ſubſtantiæ à quo fit tranſitus eſt *priuatio*; *ſubiectum* in quo fit, eſt materia, *eſſe* ad quod fit eſt forma.

Sic dum ex ouo generatur pullus, fit transitus à non esse pulli in ouo ad animam pulli, *non esse* pulli, est priuatio, id quod est illius subiectum in ouo est materia; anima pulli adueniens, est forma.

+In facto esse Principia+ compositionis, sunt ea ex quibus primis res naturâ constantes sunt per se; & duo sunt *materia* n. & *forma*.

Materia duplex est, *n*.

proxima 1.+ ~~*Secunda*~~, s. affecta certis dispositionibus ad determinatam formam recipiendam; vt *materia humida frigida*, ad formam aquæ.

Remota 2. *Prima*, est subiectum indifferens ad omnes formas naturales.

Describitur, *idquod* nec est quid, nec quantùm, aut quale, *vel* aliquid eorum quibus ens determinatur. *s.* primum subiectum formarum naturalium ex quo inexistente, fit, & est compositum per se, & essentiale.

Forma, est *accidentaria* s. accidens; *vt* albedo. *v. substantialis*, s. ratio quidditatis corporis naturalis.

Definitur, actus primus corporis naturalis; estque *materialis* quæ educitur è materiâ; vt *anima equina*. *v.* spiritalis, quæ est independens à materiá, quæque *infundendo creatur*, & *creando infunditur*; vt *anima rationalis*; de foris *enim* aduenit teste Philosopho.

Priuatio, est carentia formæ in subiecto debitè capaci, vt absentia visus in oculo viri.

Negatio, hìc, est absentia formæ in subiecto ad eam ~~minùs~~ non idoneo; vt *absentia visus* in lapide.

TRACTATVS SECVNDVS DE CAVSIS, ET ESSENTIA CORPORIS NATVRALIS.

CORPORVM finis triplex, *n.*
1. *Proximus*, qui est operatio ipsa; vt solis *lucere*; vnumquodque enim est propter *operari*.
2. *Remotus*; n. *homo*; nam omnia corpora sunt hominis gratiâ, Macrocosmus propter Microcosmũ.
3. *Remotissimus*, est Deus; nam homo, & quæuis alia sunt Dei gratiâ; *omnia* quippe, *propter semetipsum operatus est Dominus.*

SCIENTIÆ *methodus mensuratur à fine proximo, non à remotissimo; vtpote communi omnibus disciplinis.*

Quare perperam quidam recentior damnat solitam in scholis docendi rationem, & physicos imperitè redarguit quod v. g. multas de quantitate quæstiones moueant; p. an constet punctis, an partibus in infinitum diuisibilibus; neque tamen eos laudare velim qui superfluas difficultates excitare solent) *nam quæstiones quæ à doctis Physicis de quantitate aliisque corporis naturalis affectionibus agitari solent; inseruiunt ad luculentiorem essentiæ quantitatis corporisve naturalis cognitionem; quæ est finis propriusphysicæ;* cum sit illius operatio propria. *Non autem deducere Conclusiones Theologicas, vt ille contra methodum physicæ importunè eruit; non enim* debemus mittere falcem in messem alienam. *Hinc videtur ignarus Physicæ.*

Deinde *inquisitio essentiæ quantitatis eiusque proprietatum inseruit remotè ad diuinæ potentiæ, & per* accidens ad humanæ ignorantiæ, & impotentiæ manifestationem.

OPIFEX, vt & *exemplar* corporis naturalis est aliud corpus; vt gallus *resp.* pulli.

CAVSA materialis, est *materia prima*.

FORMALIS est forma substantialis varia pro varietate corporum; *vt* anima vegetatiua, *resp.* plantæ; sensitiua, *resp.* belluæ; non item.

FIGVRA; *vt quibusdam recentioribus placet*; qui *cum contendant aliquid esse in intellectu quod non fuerit in sensu, nihil tamen percipiunt* (cum sint mentis pistillo retusioris) *quod sensu non sit peruium. vnde* non agnoscunt alium motum præter localem, q. sensu maximè perceptibilis, cum ab iis insulsè, & ignarè, *motus*, dicitur, *mutatio loci*.

ESSENTIA, corporum est materia, & forma substantiales vnitæ. Vtraque *dicitur* natura.

DE NATVRA.

NATVRÆ nomine multa significantur.

1. *Natura naturans*, s. author naturæ; p. Deus vt ordinariâ potentiâ mundum administrat. Sic *opus naturæ* dicitur *opus* intelligentiæ, & *quæ naturâ fiunt*, ratione fiunt; non aliâ, quam primâ.

2. *Natura naturata*, s. vniuersum; *quâ ratione aliquid* esse in rerum naturâ, *id est*, esse in mundo.

3. Rei cuiusvis essentia; *sic dicitur*, natura diuina, Angelica, &c.

4. *Prout* est pars essentialis; *quâ ratione, hìc vsurpatur.*

Definitur, primum principium motus, & quietis per se eius in quo est. *Estque*

1. *Actiua*, s. primum principium actiuum motus, & quietis; *estque* forma substantialis informans; *vt* forma lapidis *resp.* motus ad centrum, & quietis in eodem terræ centro.

2. *Passiua*, quæ est principium receptiuum motus; p. *materia*; vt hominis corpus. et forma, Coeli exigens m[...] veri ab I[...] telligenti

NATVRA *nihil agit frustra*; est enim *sapiens*; vt suum opus ordinare possit ad debitum finem; *bona* vt velit ei concedere media ad eundem finem assequendum idonea. *Potens*, vt ea media actu, & de facto largiatur.

Hinc *tendit ad optimum, facitque semper saltem id quod est optimo proximum*; v. g. *femellam, si nequeat marem producere.*

Natura, *ab imperfectioribus ad perfectiora procedit.* A sanguine, ad ouum; ab ouo, ad pullum; à pullo ad gallum gallinaceum tendit.

Naturam habent ea quibus inest principium motus, & quietis; eaque sunt corpora naturalia; vt lapides, plantæ, pecudes, &c.

Secundum *naturam* sunt.

quæ { *habent in se naturam*; / *sunt à naturâ*; / *per se accidunt naturâ constantibus.* } vt { plantæ / lux / aquæ refrigerare. }

TRACTATVS TERTIVS DE PROPRIETATIBVS CORPORIS NATVRALIS.

COMMVNISSIMÆ *corporum* affectiones, sunt *quantitas*, *locus*, *motus*, *quies*, & *actio naturalis*.

QVANTITAS est duplex nempe.

1. *Virtutis*, seu rei perfectio quâ res dicuntur magnæ quæ sunt perfectæ; sic *Deus optimus*; dicitur *maximus*, & hæc Metaphysica est.

2. Molis, est positio partium extra partes. *Estque*.

1. DISCRETA, cuius partes nullo communi vinculo copulantur; vt *numerus*, seu vnitatum aceruus, estque.

Transcendens, qui conuenit generatim enti vt est multiplex; puta *numerus* Angelorum.

Categoricus, qui conuenit rebus quantis; vt multitudo lapidum.

Formalis, est forma quæ aduenit rebus eo quod sint tot, p. dualitas, trinitas &c.

Materialis, sunt res numeratæ; vt homines.

Par, est numerus diuiduus in duas partes æquales; vt *binarius*.

Impar, qui diuiduus est in partes inæquales; vt *ternarius*.

2. CONTINVA, est ea cuius partes communi vinculo copulantur, *estque*

Successiua, cuius partes sunt in continuo fluxu; vt *tempus*, seu successio motus. Estque *præteritum*, *præsens*, vel *futurum*.

Permanens est ea cuius partes omnes sunt simul, hæcque dicitur *magnitudo*, vt quantitas discreta dicitur *multitudo*.

Magnitudo seu magnum strictè, est continuum permanens diuisibile in ea quæ insunt quorum vnum quodque aptum| esse hoc aliquid. Et est triplex nimirum. |est,

1. *Linea*, quæ concipitur veluti fluxus puncti, & dicitur *magnitudo ad vnum*, seu *longitudo* sine *latitudine*.

Punctum, seu *atomus*, est quid indiuisibile. Euclidi, est id cuius pars nulla.

2. *Superficies*, est vestigium lineæ, & cogitatur vt linearum textura. Dicitur *magnitudo ad duo*, seu latitudo sine profunditate.

3. *Corpus* cogitatur; vt quid ex superficiebus compactum; hinc dicitur *solidum*, seu *trina dimensio*. Describitur *magnitudo ad tria*; seu *longitudo latitudo* & *profunditas*.

PROPRIETATES quantitatis sunt.

1. *Mensurabilitas* per quam corpus mensuratur.

Mensura molis, est ea vnde corporis quantitas dignoscitur. Est

Actiua, seu *externa*, per *quam* res mensuramus; vt *vlna* respectu panni.

Passiua, seu *interna*; est per quam corporis magnitudo+ mensuratur; vt *quantitas panni*.

2. *Diuisibilitas* est diuisionis capacitas; vt in *vlnâ*.

3. *Impenetrabilitas* est obsistentia corporum quâ vnum corpus impedit ne alterum subeat locum quem occupat; vt *vis* quâ lapis resistit corpori ipsum impellenti.

+in seipsâ

4. *Æqualitas* est forma vnde æqualia dicuntur. Æqualia sunt ea quorum quantitas est vna, *seu* Ea quorum quantitas vnius tanta est quanta est quantitas alterius; *seu* quorum quantitates commensurantur. Sic duæ lineæ bipedales sunt æquales. *Hinc*

Æqualitas est commensuratio quantitatum.

5. *Inæqualitas*, est quantitatum inadæquatio. *Inæqualia* dicuntur quorum quantitas non est vna, seu quorum vnum maius est, aut minus altero; *vt* linea bipedalis cum tripedali.

DE LOCO, ET VACVO.

LOCVS est superficies corporis ambientis prima, & immobilis.

Hanc loci definitionem quidam recentior intempestiuè reprehendit, eo quod superficies non sit æqualis locato ratione trinæ dimensionis, nam sufficit quod ei adæquetur ratione continentiæ, *id est* quod nihil minùs, aut ampliùs contineat quam locatum, quod si hanc responsionem, vt solet, non capiat, mentem si possit acuat, quà eam percipiat.

Locvs *continet*, *adæquat* locatum *immobiliter*, & *separabiliter*. In motu enim locali prior locus deseritur eo remanente vbi erat, & nouus acquiritur, nec quicquam intrinsecum locati deperditur.

Deus est in loco.

per { essentiam / præsentiam / potentiam } { q. omnia } { peruadit / peruidet / peragit }

VIR *honestat locum, non locus virum.*

Locvs

Locvs est multiplex n.

1. *Mathematicus*, secundum solam superficiem, & seorsim à quâuis materiâ sensibili consideratus.

2. *Physicus*, spectatus secundum qualitates consentaneas, & dissentaneas locato. Estque duplex; p.

Naturalis, qui conuenit secundum naturalem rei inclinationem; vt aqua piscibus.

Locati est conseruatiuus, & perfectiuus, quia amicas, & congruas locato qualitates continet; vt *aqua*, humiditatem, & frigus quæ conueniunt naturæ piscium.

Violentus qui rem continet contra naturalem inclinationem; vt *terra*, haleces.

Destructiuus est rei locatæ; quia inimicas, & disconuenientes qualitates continet; vt *terra*, & *aër*, siccitatem, & calorem destructiua naturæ piscium.

3. *Proprius*, qui conuenit vni corpori tantùm; vt *locus* Petri, soli Petro.

4. *Communis* qui continet plura corpora; vt mare, pisces.

Differentiæ loci sunt sex.

1. *Sursùm*, s. distantia à centro terræ ad circunferentiam mundi; sic homo erectus habet caput sursum.

2. *Deorsùm*, est spatium à circunferentiâ mundi ad terræ centrum, sic lapis cadens, deorsùm tendit.

3. *Dextrorsùm*, est ab Oriente ad occasum.

4. *Sinistrorsùm*, est ab Occidente ad ortum.

5. *Antrorsùm*, est à meridie ad Septentriones.

6. *Retrorsùm*, est à Septentrione ad meridiem.

Vas, à loco mobilitate distinguitur. hinc vas dicitur locus transferibilis, locus, vas immobile. Vn-

de nauis, *vas*; portus autem *locus* appellatur.

VACVVM, & inane Poëtis sunt synonyma; ab ijsque appellantur *locus* in quo non est corpus sensibile tactu, vel visu; hinc spatium cœlum inter, & terram ab ijs *vacuum*, & *inane* nuncupatur.

A vulgo *vacuum*, & *inane* vsurpatur pro loco qui destitutus est corpore cui continendo destinatur, licet sit alio Plenus. Sic *crumena*, vulgò vocatur vacua in quâ non est pecunia.

Philosophis; vacuum est spatium priuatum omni corpore; vt *aula* quam nullum corpus subiret destructo corpore prius ipsam replente.

Inane verò, ijsdem, est spatium nullo circunscriptum corpore; quale cogitatur à Pithagoreis esse extra mundum. Si quod sit autem *eiusmodi* spatium extramundamum, est merè negatiuum, non priuatiuum.

DE MOTV.

MOTVS popularitér, est sola *latio*; q. vulgus solo ferè sensu ducitur; at motus localis est maximè sensibilis.

Propriè, est mutatio successiua; *seu* actus mobilis vt est mobile.

Definitur, à Philosopho actus entis in potentiâ. prout in potentiâ.

Sculptio non est actus marmoris vt est actu marmor, sed vt est statua potestate.

Dicitur actus mobilis à motiuo; sic calefactio manus est actus huius manus, ab hoc igne.

In motu spectantur *motor*, *mobile*, *termini motus*.

1. *Motor*, seu *motiuum*, est quod mouet, vel mouere potest; vt ignis, qui calefa cit, vel calefacere potest,

2. *Mobile*, est id quod moueri potest; vt lignum calefactibile.

3. *Termini* motus, sunt extrema motus puta.

Terminus à quo incipit motus; vt frigus à quo incipit calefactio.

Terminus ad quem desinit motus; vt calor respectu calefactionis.

Calefactio non est *ignis*, *lignum*, *frigus*, vel *calor*; sed *via* seu *fluxus caloris ab igne*.

MOTVS latè est *quæuis mutatio*, estque *Physica*, vel *Metaphysica*.

Mutatio Physica, est transitus à non *esse* ad *esse*, *v.* ab *esse* ad non *esse* in materiâ. Estque sextuplex *n.*

1. *Generatio*, hîcque sumitur prout est communis viuenti, & non viuenti, definiturque.

Transitus à *non esse* substantiæ ad esse substantiæ in subiecto; vt transitus à *non esse* pulli *ad esse* pulli in oui *materiâ*. In creatione, nullum est subiectum.

2. *Corruptio* est transitus ab *esse* substantiæ ad non *esse* in subiecto; *vt mors*. Annihilatio, nullum habet.

3. *Accretio* est acquisitio quantitatis; seu motus à paruitate ad magnitudinem; vt in infantibus à quantitate pueri ad quantitatem viri.

4. *Decretio*, est motus à maiori quantitate ad minorem; vt à quantitate viri, ad quantitatem senis.

5. *Alteratio*, est motus ad qualitatem. Estque

Perfectiua; vt refrigeratio aquæ.

Destructiua seu *nociua*; vt calefactio aquæ.

6. *Latio*, seu motus localis, est transitus è loco ad locum, vt *deambulatio*.

Motus, est. vel tardus qui multo tempore exiguè conficitur; vt motus indicis horologii.

Velox qui paruo tempore multùm conficitur; vt motus solis.

QVIES latè, est priuatio motus; vt permanentia lapidis in manu.

Propriè, est perseuerantia rei in loco, & statu naturali; vt *permanentia piscis in mari.*

DE TEMPORE, ET *ACTIONE NATVRALI.*

VVLGO *Cœlum*, aut *aër*, tempus *appellatur.* Sic *dicitur* tempus serenum, aut sudum.

Tempus propriè, est duratio, seu successio motus.

Definitur, numerus motus secundum prius, & posterius. Estque

1. *Internum*, seu duratio propria cuiusvis motus; vt *successio cursus Petri.*

2. *Externum*, est duratio propria alicuius motus quâ aliorum motuum duratio mensuratur, vt duratio conuersionis annuæ, vel diurnæ solis.

Externum est mensura actiua motus, internum, *verò* passiua motus quem afficit.

Σύμβουλος ούδείς ὅτι βελτίων χρόνου.

Auaritia temporis; *liberalitas* opum; *prodigalitas* scientiarum.

ACTIO naturalis, est operatio propria cuilibet corpori; vt calefactio igni.

Actio violenta, est contra naturam; vt proiectio lapidis sursum.

Actiuitas, est agendi virtus; vt facultas illuminandi in sole.

SPHÆRA actiuitatis, est spatium intra quod corpus agere potest, & vltra quod non potest; vt spatium intra quod fax accensa illustrare valet.

In sphærâ, centrum actiuitatis *præsertim* conside-

ratur, estque *principium operandi*; vt fax accensa. Tum *circunferentia*, quæ est *terminus* vltra quem res agere non potest.

TRACTATVS QVARTVS
DE SPECIEBVS CORPORIS NATVRALIS.

MVNDVS est.

1. *Idealis*, seu archetypus; qui est *idea mundi* in mente diuinâ. Hinc Boetio

-*Pulchrum* pulcherrimus ipse
Mundum mente gerit similique ab origine format.

2. *Vniuersalis*, qui coalescit ex intelligibili, & sensibili; dicitur *vniuersum* quod sit rerum omnium creatarum cogeries.

3. *Intelligibilis*, seu spiritalis est mirabilis spirituum cœtus in varias Hierarchias, & Ordines dispositio.

4. *Sensibilis*, est miranda corporum omnium fabrica, quæ

Definitur compages è cœlo, & terrâ constans, & ijs quæ inter ea continentur.

MVNDI finis, est Dei gloria.

OPIFEX, Deus.

EXEMPLAR, mundus idealis.

MATERIA, sunt cœlum terra &c.

FORMA, est mirabilis positio, & dispositio partium ipsius ad inuicem.

DE CORPORE COELESTI.

CORPVS sumitur præsertìm tripliciter.

1 Vt est trina dimensio, vocaturque solidum, seu corpus Mathematicum.

2. Pro parte materiali quo sensu homo dicitur constare ex corpore, & animâ rationali.

3. Pro composito naturali qua ratione homo dicitur corpus naturale. Estque compositum ex materiâ, & forma vnitis

Estque duplex *n.* simplex, & mixtum.

S*implex* quod non constat ex corporibus dissentaneæ naturæ estque corruptibile, *v.* incorruptibile.

Incorruptibile puta corpus cœleste. Hocque est Cœlum, Planeticum, Firmamentum, vel Empyreum.

ASTRVM est corpus cœleste lucidum circulariter mobile certi.que influxibus sublunaria ciens Estque

Planeta, qui subinde mutat distantiam ad alia astra; vt Sol qui modo Lunæ vicinior, modo à Lunâ, cæterisque astris remotior.

PLANETÆ septem vulgò numerantur. n.

☽ ☿ ♀ ☉ ♂ ♃
Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter,
♄
Saturnus.

SOL, vt princeps medius est inter cæteros Planetas. Mars, Iupiter, & Saturnus sunt ipso, loco eminentiores; alij verò inferiores.

Eorum ordinem inuenies incipiendo à die *Lunæ* qui designat *Lunam*, posteà intercipiendo deinceps proximè sequentem diem, occurret dies *Mer-*

curij, tum dies *Veneris*, dies *Dominica*, ſ. dies *Solis*, qui aſtrorum eſt Dominus, deinde dies *Martis*, poſtea dies *Iouis*, tum denique dies Sabbati, ſeu *Saturni*, reperieſque vltimum Planetam p. Saturnum. Nam ſicut 12. ſigna præponuntur 12. anni menſibus; ſimiliter 7. Planetæ, præficiuntur 7. hebdomadæ diebus.

Luna vnius menſis ſpatio ſuam periodum vniformiter difformi curſu abſoluit. Vnde cum circa pleni-lunium occurrit in capite, vel caudâ draconis ſub *Nadir* ſolis terra ipſam inter, & ſolem intercipitur. Cumque mutuetur ſuum à ſole lumen, & conus vmbræ terræ tegat Lunam, ipſa patitur Eclypſim, ſ. defectum lucis quæ *generalis* eſt ſi Luna fuerit directè in capite, *v.* cauda Draconis. Particularis verò, ſi fuerit prope, ſed intra metas Eclypſi determinatas. Cumque ibi eſt coniunctio cum ſole, tunc interponitur Luna ſolem inter & noſtrum aſpectum, vnde nobis deficit lumen Solis. Impropriè à vulgo dicitur ſolis Eclypſis. Quæ occurrit ſemper *in*, *v.* *circa* nouilunium.

Luna eſt *v.*	corniculata	quæ dicitur	μηνοειδὴς
	dimidiata		διχότομος
	gibboſa		ἀμφίκυρτος
	plena		σύνοδος
	intermēſtrua		πανσέληνος

Sol motu communi circumagitur 24. horis ex quibus coaleſcit dies, motu verò proprio 365. diebus annum abſoluit; *eſt* primum, *ſ.* maximum lucidum, productionum omnium ſublunarium parens in quo Deus luminum pater poſuit tabernaculum

ſuum, quia vnicus eſt & incorruptibilis viciſſitudiniſque neſcius. Agendoque indefeſſus licet ſingulis horis tranſuolet circiter 207000. milliarium

STELLA, eſt aſtrum firmamento affixum veluti lampas lacunari.

Stellæ fixæ ſcintillant, Planetæ non, item.

Scintillatio eſt veluti luminis criſpatio, & libratio, quâ tremulum apparet lumen.

Ex multis ſtellis fit conſtellatio, ſeu Aſteriſmus, qui eſt ſignum, vel ſidus.

Signum cœleſte eſt conſtellatio præſertìm Zodiaci quæ à ſole decurritur vnius menſis ſpatio incipiendo ab æquinoxio veris; id eſt vigeſimâ primâ Martii.

Suntque duodecim totidem nominibus hoc duplici verſu comprehenſa.

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.
♎ ♏ ♐ ♑ ♒
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces. ♓

HORVM ſeries ſignorum luculenter his deſcribitur carminibus.

Aurato, princeps Aries *in vellere fulgens*
Reſpicit admirans aduerſum ſurgere TAVRVM
Submiſſo vultu geminos, & fronte vocantem.
Quos ſequitur Cancer; *cancrum*, Leo, Virgo, *Leonem.*
Æquato tum Libra *die cum tempore noctis*
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion *aſtro.*
In cuius caudam contentum dirigit arcum
Mixtus equo, volucrem miſſurus deinde Sagittam

Tum venit augusto Capricornus *sidere flexus*
Post hunc inflexam diffundit Aquarius *vrnam*
Piscibus *assuetas auidè subeuntibus vndas*
Quos Aries *tangit claudentibus vltima signa.*

ZODIACVS obliquo suo ductu varias anni vices efficit; si enim Sol; vt aliæ stellæ non mouerentur obliquè non forent diuersæ anni tempestates. Cuilibet anni tempestati triplex præpositum est signum.

Vernæ, *Aries*, *Taurus*, *Gemini.*
Æstiuæ, *Cancer*, *Leo*, *Virgo.*
Autumnali, *Libra*, *Scorpius*, *Arcitenens.*
Hiemali, *Caper*, *Amphora*, *Pisces.*

Ea signa vocantur δωδεκατημόρια ab animalibus, eaque diuidunt polum in 12. partes æquales, quorum sex priora sunt Septentrionalia, posteriora sunt Australia.

NOMINA constellationibus, signis, stellis, Planetis imposita sunt.

v. A *figurâ*, vt Corona, Plaustrum, &c.

v. A qualitatibus; vt *Leo*, signum quod excitat vehementissimum æstum; *Cancer*, signum quod sit pluuiosum, & minus calidum.

v. Ab historijs; vt *Orion* propter eius in rebus astronomicis peritiam, &c.

v. à fabulis; vt *Mars, Iupiter*, &c.

LIBRA præparat Terram nouæ sementi; vt semen foueat; cum enim *Sol* sit in æquilibrio constitutus moderatam procurat aëris temperiem, hæc verò seminis fermentationem.

SCORPIVS humectat sata, vt calore, & humiditate corrupta, eorumque virtutis prolificæ facultate excitatâ germinentur, fructus quippe præ-

teritæ est semen messis futuræ. De quo id circumfertur, *Vbi putrui, ibi florui.*

CAPRICORNVS Terram constringit; vt fœtus terra conclusi altiùs mittant radices, & vegetiores posteà crescant, & in hoc signo sol ad nos reuertitur, & sicut eo abeunte, emoriuntur, vel emarcescunt; sic eo redeunte renascuntur, & reuiuiscunt omnia.

AQVARIVS terram pluuijs irrigat, & flatibus verrit, & purgat.

PISCES fœcundant aquatilia eoque tempore oua pariunt, hæc syderum constellatio qualitates piscibus consentaneas; p. humiditatem, & frigus continet, non tamen admodum efficaciter.

ARIES Terram desiccans, & veluti cornibus fugans frigus, eam præparat agrorum culturæ & arationi *n*. Pastinationi, occationi &c. vt *Taurus* sationi. Ipsum sole decurrente intenditur calor, in eoque sunt *Hyades* & *Pleiades*, quo tempore fausta suscipitur nauigatio.

GEMINI segetes fouent; sic dicti, quod calor dierumque longitudo sub ijs geminentur.

CANCER terram humectat; vt fruges humiditate nutriantur, & turgeant; *sol* in eo signo incipit à nobis discedere, & ad austrum vergere.

LEO vrens fructuum coctionem efficit, & eorum maturitatem perficit.

VIRGO humida, & benigna æstum temperat, blandè mitigat.

BRVMALI tempestate quicquid est terræ commissum, externo calore se se, *ob frigus vrgens*, intùs recipiente, seruatur & conseruatur, id verno tempore paulatim adolescit, æstiuo perficitur, autumnali verò tempore maturum profertur, &

nouum semen fouetur quo anni circulus, & mundi continua duratio absoluitur.

DE ELEMENTIS.

ELEMENTVM *latè*, est principium. Hinc Euclidi *principia* Matheseωs dicuntur *Elementa*; & literæ Grammaticis, Elementa Grammatices.

Propriè, est corpus simplex corruptibile indiuisibile in aliam speciem ex quo mixta componuntur, & in quod resoluuntur.

Estque quadruplex, p. *ignis*, *aër*, *aqua*, *terra*, totuplex quippe est, quotuplex est prima qualitas ea verò quadruplex est n. calor, frigus, humiditas siccitas.

IGNIS, qui est elementum summè calidum, valdè siccum & leue; inter cætera elementa maximè est actiuum.

AER, est elementum summè humidum, valdè calidum, & mediocriter leue.

Inseruit humanæ inspirationi, & respirationi per aduentitium frigus, tum etiam ad incedendum cum facile corpori ipsum mouenti cedat; vnde est volatilium Regio.

AQVA, est elementum summè frigidum, valdè humidum, & graue. Est piscium natale domicilium.

Prodest irrigationi, & fœcunditati, terræ, q. ipsam oblimat; iuuat quoque nauigationibus &c.

TERRA est elementum summè siccum, valde frigidum, & maximè graue.

Terra, est in mundi medio, rotunda cuius circumferentia est circiter 5400. miliaribus germa-

nicis, diameter, est 1718. semidiameter qui peruenit ad terræ centrum est 860. habet tamen per respectum ad cœlestes orbes, tantum rationem puncti, vnde hanc si totam viceris vnum tantùm punctum lucratus fueris.

Graphicè quatuor elementorum ordinem descripsit Poëta his versibus.

Ignea connexi vis, & sine pondere cæli
Emicuit, summâque locum sibi legit in arce.
Proximus est aër illi leuitate, locoque:
Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est grauitate sui circumfluus humor,
Vltima possedit, solidumque coercuit orbem.

In quolibet elemento est vna qualitas dominans, *n.* in igne *calor*, in aëre *humiditas*, in aqua *frigus*, in terra *siccitas.*

Quæuis verò alia qualitas in ipso non est in gradu intenso; *p.* in Igne *siccitas*, in Aëre *calor*, in Aqua *humiditas*, in Terra *frigus*; *v.* vt qualitas remissior non impediat actionem intensioris; vt in igne, siccitas, *v.* vt faciliùs elementorum transmutatio fiat; minus quippè difficilè; symbola quam asymbola elementa inter se transmutantur.

ELEMENTA *iterum* sunt.

1. *Symbola*, quæ communem habent aliquam qualitatem; vt *Ignis*, & *Aer*, calorem.

2. Dissymbola, s. Asymbola quæ nullam communem habent qualitatem; vt Ignis, & Aqua.

ELEMENTORVM qualitates, aliæ sunt *primariæ* quæ *n.* neque ex sese inuicem, neque ex alijs, sed ex quibus qualitates sublunares deriuantur.

Hæ elementa impellunt in centrum, si fortè à centro dimoueantur, q. ibi melius conseruantur.

Secundaria, sunt quæ oriuntur à primis. Hæ sunt duæ præsertim motiuæ, *n. leuitas*, & *grauitas* primariæ sunt calor frigus, &c.

CALOR est tactibilis qualitas homogenea congregans, & heterogenea disgregans; vt patet dum arte Chymicâ igne defæcatur aurum; & in nutritione, in quâ partes inutiles à proficuis secernuntur.

Est dilatatiuus, vt patet in lactis ebullitione; & æstiuo tempore omnia rarescunt, & dilatantur, quæ hyemali tempore condensantur, & constringuntur. Quique contrarium videntur defendere, id præstant animo contradicendi, & lucri spe, non sensu, aut ratione ducti.

FRIGVS, est qualitas tactilis quæ promiscuè homogenea, & heterogenea congregat; vt patet in congelatione.

Contrariorum contrarij sunt effectus; cum calor dilatet lac dum ebullit; frigus ipsum constringit dum refrigeratur.

HVMIDITAS, est qualitas quâ res propriâ figurâ, proprioque termino difficilè continetur.

SICCITAS est ea per quam res facilè proprio termino propriâque figurâ continetur; vt patet in lapide cuius durities oritur à siccitate.

Hinc ignis Pyramidali figurâ perpetuò ex se contentus humidus dici nequit, vnde illi scarabei, perperam damnant. Aquilæ volatum; s. idiota quidam imperiti doctrinam PHILOSOPHI *de ignis* siccitate *temere arguunt*; nec mirum est, quod tales Pseudo-philosophi reprehendant veritatem, cum non deprehendant suam falsitatem; ij sunt vespertitiones, qui solem accusant obscuritatis.

Levitas, est qualitas motiua sursum, *id est* versus Lunæ concauum.

Gravitas, est qualitas motiua deorsum, *s.* versùs terræ centrum.

DE MIXTO.

MIXTUM est perfectum, *v.* imperfectum.

1. Imperfectum, quod & *μετέωρον dicitur* q. solet supra nos contingere.

Dicitur quóque *impressio*, quod vt plurimùm appareat Instar imaginum, & impressionum; vt videre est in Pareliis, & Paracelenis.

Definitur, mixtum quod non habet formam substantialem ab elementorum formâ diuersam; vt nix grando, ignis fatuus &c.

Meteora sunt

Ignita ⎧ Fulmen.
Illustrata ⎪ Iris. *Quæ mille trahit varios aduerso sole colores.*
vt ⎨
Humida aquea ⎪ Imbres.
Sicca Terrestria ⎩ Venti.

alia sunt in { supremâ, mediâ, infimâ } { *mundi* regione } *vt* { *Cometa. fulgur. ros.* }

quædam, nonnulla { fiunt in { aquâ, terra } vt { glacies, ignes Æthnæ

DE MIXTO PERFECTO.

MIXTVM *perfectum*, est quod habet formam substantialem ab elementorum formâ diuersam.

Estque animatum, *vel* inanimatum, hocque oritur à viuentibus; vt *lac* oleum, vinum. *v.* ab ijs non emanat; estque

FOSSILE, quod est *v.*

1. Succus concretus; vt alumen, vitriolum, mercurius, nitrum, sulphur; sal, licet quóque aliud sit marinum solis, *v.* ignis calore concretum, *v.* è fontibus salsis, *v.* ortumè montibus.

2. Metallum, est mixtum fossile malleo ductile, igne liquabile, &c.

In metallo est coria, puritas metalli, fæx.

Estque *aurum, argentum*, æs, ferrum, stannum, plumbum.

AVRVM, est Rex metallorum grauitate præ cæteris excellens, puritate præstans, compactione robustum, splendore fulgidum, aduersis clarius emicans, ex se *omnibus* beneficum.

Igne probatur, defæcatur, depuratur, fitque obrizum in capedunculâ, *f.* ossario catino, beneficio plumbi cuius ope aurum facilè liquatur, sine quo vix funderetur.

2. *Par l'Inquart*, f. aquâ forti. 3. *Stibio* isteque modus omnium est securissimus. Aurum, dicitur Sol terræ; vt sol, aurum cœli; quod sit ferè incorruptibile, fulgidum, proficuum, & quod egeat specialibus solis influentiis; vt elaboretur; est etiam salubre si benè præparetur.

Argentum dicitur *Luna* terræ, vt *Luna*, argentum cœli propter similem nitorem. tum,q. videtur frigidius, & humidius auro, vt ferè Luna, sole.

Dignitate immediatè sequitur aurum propter eius puritatem, grauitatem, pretium, pondus, splendorem, ductilitatem in laminas, bracteas, & fila.

Argenti superficies aquæ, & salis communis, nec non trygini ebullitione depuratur.

Argentum impurum, alijsque metallis immixtum capedunculâ sicut aurum expurgatur, hæc quippe nulli metallorum, exceptis auro, & argento, parcit. Quodlibet aliud deuorat, & absumit.

Ex argento fit lapis causticus, *s.* infernalis; vt vocant.

In auro sal, sulphur, & Mercurius mirabili temperie attemperantur, non item in aliis, vt volunt Chymici, hinc metallorum facilè est primum.

Æs, dicitur *Venus* metallorum quod facilè possit cum auro, & argento permisceri, eorumque ductilitatem non impedit, vt alia metallorum genera. *Cuprum* feré solo colore ab ære videtur discrepare.

Ferrum à ferendo, *v.* à feriendo dictum est, vnde vocatur *Mars*, tum propter affinitatem quam habet cum Marte Planetâ.

Est metallum imperfectum, Quod sicut *Æs* æruragini, ita ferrugini, propter partes eius terrestres est obnoxium, vnde facilius in terram quam alia metalla conuertitur.

Plumbum, quod & *Saturnus* appellatur est metallum imperfectum igne facilé liquabile ex sulphure terrestri, & non laudabili Mercurio coalescens, &c.

Stan-

1. STANNVM, ſ. *Iupiter*, eſt metallum ex aliquo puriori mercurio, & pauco ſale, ſed ex ſulphure, & terrâ magis conſtans.

LAPIS, eſt mixtum perfectum inanimatum, durum vix liquabile, malleo non ductile. Eſtque

1. *Communis* p. ſaxum, Tophus, Silex, Cos, Pumex, Creta, Gypſum, &c.

2. *Minus communis*, vt Marmor, Iaſpis, Porphyrius, Corallus.

2. Pretioſus, q. rarus, viſui allubeſcens, nam *Achates*, *Gemma*, *Saxdonix*, Indicæ Margaritæ *vigens candor*; Opali colorum penè omnium varietate præfulgidi decor; *Carbunculi* rutilans ruboris fulgor, *Adamantis* radians corruſcatio, & emicans vigor; *Saphiri* cœlo nitido iucundior ſerenitas; *Smaragdi* virens mare, *Topaſij* aureus ſplendor. Amethiſti violacea purpura gratiſſimè viſum, videntemque detinent, & mirum in modum oblectant.

DE VIVENTE.

MIXTVM perfectum animatum, eſt *viuens*, ſ. compoſitum ex corpore, & animâ.

DE ANIMA VNIVERSIM.

QVIDAM anonymus, & ſine nomine in Philoſophiâ qui idiotarum ruſticorum inſtar negat dari aliquid in animabus commune, & aliter apprehendit principium vegetandi in homine quam in brutis, & plantis; ſicut imperitus ruſticus

qui negaret principium sentiendi quod est in homine esse eiusdem rationis cum principio sentiendi quod est in brutis. Vnde facile admitteret brutum esse animal; hominem vero animal esse mordicùs inficiaretur; idque est primum ignorantiæ principium; q. scilicet res similes quasi diuersas cognoscit. Vnde iste, cuius opus placere non potest nisi iis qui præferre videntur *carduos lactucis*, cum vt ipse in fronte sui libri (in quo non docere, sed nititur Logicam dedocere) fateatur suum illud mirabile, vt putat, eius opus ortum debere casui, non labori, temeritati fortunæ, non artis industriæ, ludicræ recreationis Ioco, non diligentiæ indefessæ studio; in quo quum Philosophorum principis doctrinam arguat, necesse est suam pueritiam prodat, & imprimis cum hanc definitionem reprehendit quâ dicit. *Philosophus quod*

ANIMA, est actus primus corporis organici.

Primò, eâ definitione meliorem non affert. Atque esse obscuriorem definito; melius tamen dixisset esse æque obscuram; *n.* respectu sui q. nec hanc capit, nec quid sit *anima* concipit. Quare hanc animæ definitiocm à Philosopho allatam breuiter explico.

Anima dicitur *actus primus*, p. *simpliciter*, q. est primum principium omnium operationũ viuentis.

Dicitur actus corporis organici q. est perfectio recepta in corpore potestate proximâ habēte operationes vitales. Anima equina est primũ principium omnium operationum quæ sunt in Equo, non autem in cadauere equino, vt potè quod potestate proximâ non habeat actiones vitales, cadauer quippe est solum remotè, & metaphoricè organicum

q. non habet amplius organa; nam organorum forma ex Philosopho est anima quâ caret cadauer.

Adde quod, vt videbitur in *Logicis* vbi de definitione, sola species, solumque compositum Physicum definitione accuratâ possunt definiri.

Organicum, dicitur quod habet potestate proximâ vitam. *Hæc sumitur dupliciter*, *n*.

In actu primo, quæ est principium operationum vitalium.

In actu secundo, estque operatio viuentis, vt viuens est. *seu*

Operatio à principio vitæ coniuncto; vt sensatio, intellectio.

ANIMA definitur etiam principium quo viuimus, sentimus, loco-mouemur, & intelligimus. Estque triplex, vegetans, sentiens, & rationalis.

DE ANIMA VEGETANTE.

VEGETANS, est principium quo viuitur tantùm. Definiturque actus primus corporis potestate proximâ vitam habentis; vt anima plantæ.

Tres sunt eius facultates.

Nutritiua, f. facultas conuertendi alimenti in propriam aliti substantiam.

Nutritio, est conuersio alimenti in substantiam viuentis ad indiuidui conseruationem.

Alimentum est

1. *Remotum*, f. indigestum quod nondum coctione vitali est elaboratum; aptum tamen est elaborari, vt Dapes mensis impositæ.

2. *Proximum*, est quod iam aliquâ coctione vitali præparatum; vt chylus, & sanguis.

Duo sunt stimuli potentiæ nutritiuæ, *fames* nimirum, & *sitis*.

Fames, est desiderium alimenti, s. appetentia calidi, & sicci.

Alimentum, est substantia calida humida.

Sitis, est desiderium potus, s. appetentia frigidi; & humidi.

Potus, est substantia humida frigida.

Potentia augmentatiua, est facultas vegetatiua quâ viuens suscepto intus alimento, & in suam substantiam conuerso ad debitam naturæ magnitudinem se promouet.

Augmentatio, est actio vitalis quâ viuens per intùs susceptionem seruatâ proportione per omnes partes ad legitimam magnitudinem tendit.

Accretio, non vitalis, est ea quâ corpus crescit per iuxta positionem, seu additionem nouæ substantiæ ad partes exteriores non semper æquali proportione; vt patet in saxis.

Generatio, est productio viuentis à viuente conjuncto principio in similitudinem naturæ.

Potentia generatiua, est facultas animæ vegetantis quâ viuens mediante semine generat sibi simile ad speciei conseruationem.

Semen, est corpus Vicarium, & instrumentarium à generante naturaliter elaboratum ad productionem sui similis; vt glans respectu quercus.

Facultati genitrici famulantur concoctrix, s. vis alimenti & potus præparatrix.

Attractrix s. virtus attrahendi quod est proficuum in alimento.

Retentrix, est facultas retinendi quod idoneum est & defæcatum in alimento.

Expultrix, est potentia expellendi excrementa, & fæces residuas ex alimenti elaboratione id patet in plantis.

DE ANIMA SENSITIVA.

ANIMA sensitiua, est actus primus corporis potestate proximâ vitam sentientem habentis.

Dicitur, primum principium quo viuimus, & sentimus. Estque duplex *n*.

Immobilis; vt in Zoophytis puta ostreis, &c.

Loco-motiua quæ reperitur in animalibus locum adæquatè mutantibus.

Triplex est potentia animæ sentientis videlicet sensus, appetitus, vis motrix.

DE SENSV.

SENSVS, est facultas cognoscitiua materialis.

Sensatio, est cognitio materialis.

Cognitio, est imago rei in cognoscente expressa est viuus obiecti caracter.

Ad sensum spectant.

Sensorium, sensibile, & species intentionalis.

Sensorium, est organum sensus s. par animalis in quâ fit sensatio, & est.

Internum, quod exteriùs non apparet.

Externum, quod exterius apparet; vt oculus.

Sensibile, est obiectum sensus, & est quid singulare, corporeum, extensum, motiuum sensus. Estque duplex, *n*.

1. Per accidens quod mouet, sensum per alienam speciem; vt paries oculum per imaginem coloris.

2. Per se quod per propriam speciem mouet sensum; vt albedo, visum, estque

Proprium quod vnico sensu externo percipitur, p.

1. *Lumen*, & *color*, visu.

2. *Sonus*, auditu.

3. *Odor*, olfactu.

4. *Sapor*, gustu.

5. *Calor*, *frigus* ;tactu.

Commune, est quod pluribus sensibus externis percipitur; p. magnitudo, figura, numerus, motus, quies.

Species intentionalis, ea est quæ ad aspiciendum, & cognoscendum inseruit.

Hinc *dicitur* intentionalis, q. eius beneficio potentia cognoscitiua in obiectum tendit.

Dicitur qualitas aliquatenus immaterialis repræsentatiua obiecti.

Sic imago nigredinis in oculo non requirit eandem primarum qualitatum temperiem, quam exigit ipsa nigredo in materiâ, sicuti forma sigilli non requirit eandem in cerâ dispositionem ac in sigillo.

Est duplex, p.

1. *Impressa*, est imago vicaria obiecti ad eius cognitionem simul cum potentiâ cognoscitiuâ concurrens; id videre est ex imaginibus quæ in speculis perhibentur.

2. *Expressa*, est terminus cognitionis, & est.

Mentalis, quæ *dicitur* verbum mentis.

Definitur qualitas patibilis naturalis quæ est actus perspicui, vt perspicuum est.

Imaginationis; & vocatur phantaſma.

In cæteris potentiis cognoſcitiuis nomen ſpeciei retinet.

Species impreſſa, eſt velut obiecti ſemen quo facultas cognoſcens fœcundata ſpeciem expreſſam cudit, concipit, & efformat.

Senſus ſunt in cognoſcendo duces, nihil quippe eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, cognitio quæuis in nobis oritur à ſenſibus, eaque ratione fit.

Obiectum imprimit ſenſui externo ſui ſimilitunem, facultas verò ſenſitiua illâ imagine veluti ſemine fœcundata aliam exprimit, fitque ſenſatio, tum imago ſenſibilis ſubit phantaſiam, quæ phantaſma cudit, tum illuſtratum ab intellectu agente recipitur in intellectu patiente, & tunc verbum mentis excitatur, excitatio, & verbi mentalis conceptio, eſt intellectio, vnde qui intelligit, concipit.

Senſus duplex eſt externus, & internus.

DE SENSV EXTERNO.

EXTERNVS, cuius organum exteriùs apparet. Et eſt quintuplex. *n.*

Viſus, ſ. ſenſus externus luminis, & coloris apprehenſiuus.

Lux, lumen, ſplendor ſunt eadem qualitas, quæ prout inhæret corpori per ſe lucido, p. ſoli, *dicitur* lux; prout ab alio diffunditur, & in corpore luminoſo v. g. in aëre recipitur vocatur lumen; prout verſus corpus lucidum reflectitur, ſplendor appellatur.

Corpus quippe transparens sine lumine est tantùm perspicuum potentiâ, per lumen verò Diaphanum est, s. perspicuum actu, & proximè aptum vt colorum imagines transmittat. Sicque perspicuum idem est ac luminosum.

Perspicuum igitur est triplex, p.

1. Vnum quod habet lucem insitam, vel principiatiuè, vt sol, *v.* participatiuè, vt ignis.

2. Aliud, quod licet actu non sit illustratum, tamen secundum se totum luminis est susceptiuum, vt aër, aqua, vitrum.

3. *Vltimum*, est quod secundum extimam superficiem tantùm suscipit lumen, vt marmor, & similia opaca corpora.

Color, est motiuum perspicui in actu per species visibiles intentionales, seu

Qualitas visibilis mouens tantum per medium actu lucidum.

Est participatio luminis in corpore opaco.

Color est extremus; vt candor, & atror. *Estque*

1. *Medius*, vt rubor.

2. *Verus*, qui permanenter inhæret corpori ibidem etiam diuerso lucis aspectu, vt albedo in niue:

3. *Apparens*, & velut intentionalis qui pro vario situ visibilis corporis lucidi, vel aspicientis mutantur; vt Iridis, plumarum pauonum, aut columbarum, & colores in mantili excitati à vini colore existentis in scipho.

AVDITVS, est sensus externus soni cognoscitiuus.

Sonus, est qualitas audibilis excitata ex collisione corporum durorum, & resistentiâ medij vt vox, vel tinnitus. *Estque*

1. *Acutus*, qui multum mouet auditum pauco tempore.

2. *Grauis*, qui multo tempore parùm mouet auditũ.
3. *Temperatus*, qui ex acuto, & graui coalescit.
4. *Directus*, qui directè à corpore sonoro exiens ferit auditum; vt clangor tubæ.
5. *Reflexus*, qui ex corpore solido, & cauo repercutitur ad auditum, & *dicitur* Echo.

3. OLFACTVS, est sẽsus externus odoris perceptiuus. ODOR est qualitas sensibilis orta ex primarum permixtionę in quâ siccum vincit humidum.

Odor, est suauis, vt in Narcisso, vel insuauis; vt fœtor hirci.

4. GVSTVS est sẽsus externus saporis cognoscitiuus.

Sapor est qualitas sensibilis orta ex permixtione primarum in quâ humidum vincit siccum. f.

Qualitas patibilis humida aquea vi caloris humidum cum sicco miscentis, & coquentis excitata. *Estque v.*

1. *Dulcis*, qui gratè, & jucundè afficit palatum, vt in melle, & saccaro.

Amarus, qui acerbè, & injucundè mouet palatum; vt in felle.

3. *Medius*, qui fit ex vtriusque permixtione; vt sapor acidus, vel austerus.

5. TACTVS, est sensus exterior perceptiuus qualitatum tactilium; p. caloris, frigoris &c. mollitiei, duritiei, & similium. *Eæ sunt*

1. *Durities*, quæ est qualitas facilè resistens tangenti; vt in marmore.
2. *Mollities*, quæ est patibilis qualitas quâ corpus tangenti facilè cedit; vt in Lanâ.
3. *Asperitas*, quæ est inæqualis extremarum partium situs; vt in pelle canis marini.
4. *Lanitas* est æqualis dispositio extrimitatis par-

tium ita vt vna alteri non emineat; vt in ſpeculo perpolito.

DE SENSV INTERNO.

SENSVS interior eſt is cuius organum eſt in cerebro.

Quadruplex eſt, p.

Senſus communis, ſ. internus, quo animal diſcernit obiectum cuiuſlibet ſenſus externi dum actu ſentitur, p. calorem, à colore; odorem à ſapore.

Eſt is quo animal aduertit ſe ſentire; p. videre, audire; eſt velut arbiter, & iudex ſenſuum externorum.

Ad hunc pertinet.

SOMNVS, ſeu ligatio primi ſenſorij ex feriâ, & quiete ſenſuum externorum ſalutis animalis gratiâ.

VIGILIA, eſt expedita functio ſenſus communis, & facultatis motricis ex ſolutione ſenſuum externorum.

EXPERGEFACTIO eſt reditus caloris à corde ad quod ab humore ſoporifero compulſus fuerat, ad ſenſum externum.

PHANTASIA, eſt ſenſus interior quo ſenſibilia præſentia, vel abſentia percipiuntur. Conſeruat enim ſenſibilium imagines, & ex multiplici compoſitione ſpecierum, innnumeras effingit imagines & phantaſmata. Hinc imaginatio, & phantaſia nuncupatur.

Ad hanc ſpectat.

Somnium quod eſt apparitio exhibita inter dormiendum.

Differt à febricitantium, & ſenum delirijs, amen-

tiumque ſtultitiâ, quæ videtur Somnium vigilantis inhærens vixque propulſabile.

3. ÆSTIMATIVA eſt ſenſus interior quo animal res ſenſibus externis vix perceptas, æſtimat proficuas, vel nociuas; vt vis qua ouis apprehendit ſibi amicum canem, lupum infenſum.

Ad hanc reuocatur.

INSTINCTVS qui eſt æſtimatiuæ excellentia, ſ. vis inſtigans ad indiuidui conſeruationem, apprehendendo ea quibuſcum naturalem habet antipatiam, v. ſympatiam; vt facultas quæ mouet Ceruum ſagittâ vulneratum ad ſumendum dictamum.

4. MEMORIA ſenſitiua, eſt ſenſus interior quo animal noſcit ſenſibilia priùs cognita cum tempus interceſſerit; vt patet in cane, dum caudâ herum, quem à longo tempore non viderat, abblanditur.

DE APPETITV SENSITIVO.

APPETITVS ſenſitiuus eſt potentia inclinans in bonum, & refugiens malum ſenſibile; vt vis quâ Equus eſuriens appetit cibum, & reformidat calcar.

Duplex eſt.

CONCVPISCENS qui proſequitur bonum, & auerſatur malum ſenſibile ſecundum ſe nulla habitâ ratione ardui; vt appetitus frigidæ in ſitiente.

IRASCENS, qui verſatur circa bonum, & malum arduum, & difficile; vt appetitus quo Leo pugnans aduerſus Taurum deſiderat victoriam.

Arduum, dicitur id in quo locus eſt pugnæ, vnde præſentiſſima mors licet triſtiſſima, ardua non appellatur.

APPETITVS est elicitus, *v.* innatus. Hic est pondus à naturâ inditum, & inclinatio ad bonum proprium, Estque facultas orta ab essentiâ quâ res ferri potest in id quod sibi conueniens est, & illud quod disconueniens est auersari.

Elcitus, est actualis inclinatio in bonum, *v.* auersio à malo.

DE FACVLTATE MOTRICE

VIS motrix est facultas quâ viuentia secundum se tota; vel secundum aliquam sui partem localiter mouentur.

Hinc duplex, est.

Naturalis, quâ viuens non deserit priorem locum qualis est in corde, pulmone, & Zoophytis quibusdam.

Alia est quâ animal locum priorem mutat. Estq;

Progressiua, volatiua, natatiua, serptiua in serpentibus, reptiua in lumbricis qui per annulos mouentur.

DE ANIMA RATIONALI.

ANIMA rationalis est actus primus corporis potestate proximâ vitam rationalem habentis. s.

Principium quo viuimus, sentimus, loco-mouemur, & ratiocinamur.

Facultates animæ rationalis sunt intellectus, voluntas; virtus motiua.

DE INTELLECTV.

INTELLECTVS, est facultas ex phantasmatis à sensibus exhaustis ratiocinatiua.

Vocatur mens, quatenus apprehendit.

Iudicium, quatenus iudicat, & proponit.

Ratio, prout discurrit.

Definitur, facultas spiritalis quæ ad præsentiam phantasmatum species intelligibiles cudit.

COGNITIO intellectus est.

Abstractiua quâ vnum cognoscitur per aliud, v. g. causa per effectum; vt cognitio quâ in hâcce vitâ Deum nouimus.

Intuitiua, quâ res in se videtur. Estque

Apprehensiua, qua res ad modulum cognoscentis attingitur; vt Deus ab homine in visione beatificâ.

Comprehensiua, quâ res eâ omni ratione cognoscitur quâ cognosci potest; vt cognitio quâ Deus seipsum nouit.

INTELLECTVS dupliciter spectari potest.

1. Prout *Phantasmata* illustrat, & ad eorum præsentiam species intelligibiles cudit per quas obiecta cognoscit, & *dicitur* intellectus agens.

2. Prout Imagines illas recipit per quas circa obiectum potest versari, & appellatur intellectus patiens, s. possibilis.

Ad intellectum spectant.

Memoria intellectualis quæ est thesaurus, & promptuarium imaginum intelligibilium rerum priùs cognitarum cum tempus intercesserit.

Homo præteritorum meminit, & reminiscitur, præsentia intuetur, futura præsagit.

Reminiscentia est.

Resumptio per præsentem memoriam priùs habitæ, tum obliteratæ cognitionis; vt inquisitio, & recuperatio notitiæ hominis, cuius obliuio nos cœperat, per locorum, ludorum, & similium præsentem memoriam.

Differt memoria intellectualis à sensitiuâ, quod hæc sit tantum recordatio singularium sensibilium, illa verò sit singularium, & vniuersalium, sensibilium, & intelligibilium.

Reminiscentia differt à memoria, inquisitione, & comparatione.

EVIDENTIA, est cognitio rei; vt est in se.

Hæc fit cognoscendo propriam substantiam rei in se; *vt dum Angelus se ipsum cognoscit. v.* per speciem intentionalem rei; vt dum homo suam animam apprehendit.

Triplex potest esse euidentia, p.

Matutina, in VERBO Diuino.

Meridiana, in ESSENTIA Dei intuitiuè visâ.

Vespertina, in RE ipsâ.

CERTITVDO cognitionis est imperturbabilitas quâ quis noscit rem infallibiliter non posse aliter, & aliter se habere.

EA triplex est, p. *subiecti*, s. *adhæsionis mentis*, *obiecti*, & *medij*, cum vtrumque est immutabile; *sic* qui cognoscit demonstratiuè connexionem existentiæ creaturæ cum existentiâ Dei, cum firmiter assentitur quod *Deus existat* triplicem hanc habet cognitionis certitudinem.

Iterum certitudo triplex, p:

Moralis		*Ijs quæ ferè semper fiũt.*
Physica	quæ nititur	ordine naturæ.
Metaphysica		essentijs rerum.

VOLVNTAS humana est appetitus rationalis; vt inclinatio ad honestatem.

VIS MOTRIX, est virtus quâ anima rationalis potest moueri localiter.

Libertas arbitrij, pertinet ad intellectum, & voluntatem, imò, & ad vim motricem; q est virtus actiua cuius radix est *intellectus*; sedes autem, *voluntas*.

Intellectus humanus præ imbecillitate inter operandum potest à veritate deficere; necnon voluntas præ suâ indifferentiâ inter agendum ab honestate desciscere. Quamobrem necessaria est duplex disciplina animæ rationalis perfectiua, *n*.

DIALECTICA, quæ mentem acuat, eamque infallibiliter ad veritatem ducat.

ETHICA, quæ voluntatem regat, & ad honestatem per certa benè beatéque viuendi præcepta dirigat. Quapropter de ijs nobis in posterùm est dicendum.

Qui mentem mouet, & mores, possideat nostros amores.

COMPENDIVM
PHILOSOPHIÆ MORALIS.

VIRTVS est rationis complementum, & absolutio, potissimaque hominis excellentia: *Virtute* quippe *viuere*, est *ratione*, s. *honestè, beateque viuere*, itaut eo solum modo homines à belluis differre videantur: cum autem hominis vita sit via lubrica, in quâ qui non cadit titubat ob judicij peruersitatem, appetitus prauitatem, & cuiusvis potentiæ imbecillitatem; idcircò maximè necessaria est *lux*, quæ ipsius mentis caliginibus affulgeat, easque dissipet, & *dux* qui ipsum regat, voluntatisque infirmitatem corroboret atque fulciat, honestum à turpi, virtutem à vitijs discrepare demonstrando, & viam iustitiæ ostendendo. Is porrò est.

PHILOSOPHIA Moralis, quæ à Philosopho ex potissimâ eius parte *Politica* nuncupatur Græcè ἠθική ἀπὸ τῶ ἤθους à moribus.

Mores sunt assuetudines honestæ; vel turpes. hæ sunt *vitia*; illæ verò *virtutes*. In Deo nulli sunt mores; vt nec in Angelis. q. nullæ assuetudines.

Dicuntur officia vitæ, seu agenda, & fugienda in vitâ, *n. Declina à malo, & fac bonum.*

Definitur, scientia, & prudentia actionum humanarum per generalia præcepta bene viuendi ad honestatem directiua.

ACTIO-

Actiones humanæ, sunt actiones hominis liberæ. *Vnde* inclinatio voluntatis hominis in bonum vniuersim est actio hominis, quia fit ab homine, non est actio humana, quia non fit ex electione.

Moralis duplex est, p.

Vniuersalis quæ præscribit officia cuilibet vitæ statui conuenientia.

Particularis, quæ tradit benè viuendi regulas certo vitæ statui peculiares, p. Monastica, Oeconomica, Politica.

Quatuor erunt Moralis vniuersalis Tractatus.

1.	erit de	*Causa finali*	actionum humanarum.
2.		*Principijs effectiuis*	
3.		*Speciebus*	
4.		*Proprietatibus*	

TRACTATVS PRIMVS

DE CAVSA FINALI ACTIONVM HVMANARVM.

CVM homo mores suos nequeat secundum honestatis leges regere nisi eos ad finem rectæ rationi congruum dirigat, nec possit ad optatum finem collimare, nisi ipsum desideret, *v.* cupere, nisi cognoscat; *ignoti enim nulla cupido*: ideò tam necessaria est homini notitia finis vt ipsum adipiscatur, quam Sagittario inspectio scopi vt metam assequatur.

Beatitudo est finis; finis omnis est bonus. Quamobrem priùs agemus de *bono*; tum de *fine*; postremò de *beatitudine*.

DE BONO MORALI.

OPTIME' veteres definierunt bonum; *id quod omnia appetunt*, collectiuè, *v.* distributiuè; sic Deus est optimus quem omnia appetunt; terræ medium est bonum lapidis, q. ab ipso appetitur.

Appetitus, est innatus, vel elicitus. *De quibus egimus in Physicis tractatu 4.*

Vterque triplex est, n.

1. *Naturalis* qui est impetus rei cognitione destitutæ in id quod sibi conueniens est; vt descensus lapidis in centrum. Germinatio plantarum.

2. *Sensitiuus*, est facultas, vel motio tendens in bonum ex præuiâ cognitione sensus; vt instinctus quo hirundo vere impellitur ad nidi confectionem.

3. *Rationalis*, est propensio in bonum præuiâ ratione cognitum; vt inclinatio voluntatis in honestatem.

BONVM morale est, *v.*

1. *Verum*, quod reuerà hominem perficit; vt virtus.

2. *Apparens*, quod reuerà hominem inficit, nec est quale apparet; vt furtum.

Bonum congruit animo; vt sapientia; corpori; vt sanitas: vel vtrique, vt opes. Hæ sunt externa s. fortunæ bona, illa interna, s. naturæ bona.

Bonorum, alia non sunt bona simpliciter, & dicuntur *facultates*, quia ijs benè, vel malè vti possumus; vt bona naturæ, & fortunæ;

Alia sunt bona simpliciter quibus benè viuitur, & nemo malè vtitur, & sunt.

Laudabilia quæ ex naturâ suâ ad vlterius bonum tendunt; vt virtutis habitus ad actionem studiosam: est enim dispositio perfecti (maximè si sit inchoata) ad optimum.

HONORABILIA, sunt quæ sui gratiâ expetuntur, nec necessariò vlteriùs sunt referenda; vt excellentia præstantissimæ actionis.

LAVS inchoato, honor bono consummato debetur. Iuxta illud

Est honor in portu dum puppis ab æquore venit.
Laudibus *inceptum continuatur iter.*

BONVM iterum est.

1. *Honestum*, quod per se decet naturam rationalem; vt virtus: secluso enim quouis alio est optabilis, & sibimet ipsi merces.

2. *Iucundum*, quod parit delectationem; vt Dapes opiparæ, & exquisitæ.

3. *Vtile*, quod conducit ad aliud; vt opes, *naturales*, p. lana, oleum, vinum; *v. artificiales*; vt nummus.

Malum potissimè est.

1. *Turpe*, quod per se dedecet naturam rationalem; vt *ebrietas*, *auaritia.*

2. *Molestum*, quod parit dolorem; vt Chiragra, Podagra.

3. *Nociuum*, quod priuat bono; vt illicita voluptas.

Etenim nocet empta dolore voluptas.

DE FINE MORALI.

FINIS, à causâ finali distinguitur, quod ea dat esse; vt sapientia, studio; ille vero non item; vt lucrum respectu architecti.

Finis, est desideriorum terminus, quo obtento cessat motus.

Media, sunt ea quæ vsurpantur ad finem consequendum; vt studium, ad sapientiam.

QVOD est *primum in intentione est vltimum in executione*, & viciſſim; vt sanitas est quid vltimum in executione, primum in intentione, pharmacum est primum in executione, vltimum in intentione.

FINIS est, v.

1. *Intermedius*, cuius gratiâ fit aliquid, & qui est propter aliud; vt victoria propter quam est prælium; ipsa verò publicæ pacis gratiâ.

2. *Vltimus* est ad quem cætera ita referuntur, vt non tendat vlteriùs: estque

Vltimus secundum quid, ad quod omnia in aliquo genere referuntur; vt sanitas in medicinâ.

Finis vltimus simpliciter, & in omni genere, est qui nullius gratiâ expetitur, & cuius gratiâ cætera expetuntur; vt beatitudo.

OMNIA agunt propter finem formaliter, vel materialiter.

Agere propter finem materialiter est moueri ad finem non cognoscendo rationem finis, idque fit sine vllâ præuiâ cognitione; vt in lapidibus, qui impetu naturali ad finem, sicut sagitta impulsu, ad scopum feruntur. vel præuiâ sensus cognitione; vt brutæ animantes quæ instinctu naturali rapiuntur in proprium bonum.

Agere propter finem formaliter est appetere finem cognitum secundum suam formam, & media secundum proportionem eorum cum fine; vt medicus qui cognoscit rationem sanitatis, & ordinem mediorum, & remediorum ad sanitatem conseruandam, vel restituendam.

Homo agit propter finem : *v.*

Explicite', si actualiter dum actu de fine cogitat propter quem operatur.

Implicite', dum non cogitat actu de tali fine propter quem aliquid præstat; idque fit tribus modis, puta

1. *Virtualiter*, dum actu de fine non cogitatur, sed paulò ante cogitatum fuerat; ita vt actio fiat virtute præcedentis cogitationis : sic viator licet non cogitet actu de loco ad quem tendit; tamen illius gratiâ iter facit.

2. *Habitualiter*, est agere propter finem ex maximâ assuetudine; vt dum *ebrius* domum repetit, licet de repetendâ domo non cogitet, aut priùs cogitauerit.

3. *Interpretatiuè*, est agere propter finem de quo nunquam cogitatum fuit; sed ita vt quis sic affectus sit; vt si de eo cogitaret propter ipsum ageret; sic *stupidus* agit propter beatitudinem.

DE BEATITVDINE.

ADEO nobis radicitùs insita est beatitudinis cupiditas, vt ipsam etiam *in*, & *ex* miseriâ speremus, & expectemus, dum scilicet peruersè agimus; nihil etenim agendo contendimus, nisi vt contenti euadamus, & viuamus.

Beatitvdo, *dicitur*, summum bonum; quia nullum est eâ superius.

Dicitur finis vltimus, quia eam sui non alterius gratia peroptamus.

Græcè μακαρία ἀπὸ τοῦ μάλιστα χαίρειν, quod beatitudo supremum in nobis ingeneret gaudium.

Fœlicitas duplex est, simpliciter, & secundum quid.

Beatitudo secundum quid est ea, vnde quidam dicuntur felices cum addito, p. felices in ludo, in bello.

Beatitudo simpliciter ea est, vnde dicimur beati sine addito, & est duplex n.

Obiectiua s. finis vltimus, & summum bonum, s. res summè bona cuius possessione beati efficimur; vt *diuitiæ* respectu auari.

Beatitudo formalis, s. felicitas est forma per quam beati constituimur est summi boni possessio; vt *fruitio diuitiarum* ad mentem auari.

Finis vltimus, seu beatitudo *sumitur*.

1. *Materialiter*, & determinatè, & est certa res cui conuenit ratio finis vltimi; vt *honor* respectu *ambitiosi*.

2. *Formaliter*, & indeterminatè, & est forma sub quâ res constituitur in ratione finis vltimi, n. *satietas appetitus orta ex sufficientiâ omnis boni & absentiâ omnis mali*.

Dicitur à Boëtio status omnium bonorum aggregatione perfectissimus.

Finis vltimus materialiter, & *obiectiue* secundum opinionem multiplex, sed præsertim est quadruplex pro quadruplici vitæ genere : nempe

1. QVÆSTVOSORVM qui collocant beatitatem suam in *opibus*.

Vita auarorum violenta; sibi quippe Vim inferunt, non enim magis vtuntur ijs quæ habent quam quæ non habent.

Pauperi desunt multa, auaro omnia.

Est enim magnas inter opes inops;

2. *Vim* inferunt pecunijs, quia impediunt ne humanis vsibus inseruiant.

3. *Vim* denique inferunt omnibus; animas enim possidentium rapiunt. Vnde habeas quærit nemo, *inquiunt*, sed oportet habere:

Auarus deterior est *ferro* quod nequit adhærere *auro*.

Auarus nulli bonus sibi vero pessimus.

Radix omnium malorum cupiditas.

2. LIBIDINOSORVM qui in pulchritudine, sanitate & voluptate corporis quærunt summum bonum.

Vita libidinosorum vita seruorum sunt enim villa cupiditatum suarum mancipia; in ijs quippe pars serua, p. appetitus sensitiuus dominatur, & pars libera, n. ratio ancillatur, & subseruit.

3. POLITICORVM qui in honore, nobilitate, potentiâ, magistratibus, & gratiâ apud principes suam beatitudinem collocant.

Eorum vita elegantior est, quoniam in apparentibus virtutis fructibus felicitatem statuunt.

4. PHILOSOPHORVM triplex præsertìm.

STOICORVM quibus naturæ fortunæque muneribus destituta virtus beatos efficit.

PLATONICORVM quibus est Idea boni eiusque intelligentia.

PERIPATETICORVM quibus est contemplatio orta ex sapientia cum praxi virtutum moralium.

Vita Philosophorum, vita hominum: nam beatitudinem reponunt in eo in quo humana ratio docet esse constituendam.

Beatitudo, naturalis est quæ conuenit homini secundum naturæ vires.

Supernaturalis, quæ contingit homini Dei gratiâ, & hæc in alterâ vitâ.

Appetitus est elicitus, *v.* innatus. Hic est pondus à naturâ inditum, & inclinatio ad bonum proprium, Estque facultas orta ab essentiâ quâ res ferri potest in id quod sibi conueniens est, & illud quod disconueniens est auersari.

Elcitus, est actualis inclinatio in bonum, *v.* auersio à malo.

DE FACVLTATE MOTRICE

VIS motrix est facultas quâ viuentia secundum se tota; vel secundum aliquam sui partem localiter mouentur.

Hinc duplex, est.

Naturalis, quâ viuens non deserit priorem locum qualis est in corde, pulmone, & Zoophytis quibusdam.

Alia est quâ animal locum priorem mutat. Estq;

Progressiua, volatina, natatiua, serptiua in serpentibus, reptiua in lumbricis qui per annulos mouentur.

DE ANIMA RATIONALI.

ANIMA rationalis est actus primus corporis potestate proximâ vitam rationalem habentis. f.

Principium quo viuimus, sentimus, loco-mouemur, & ratiocinamur.

Facultates animæ rationalis sunt intellectus, voluntas; virtus motiua.

DE INTELLECTV.

INTELLECTVS, est facultas ex phantasmatis à sensibus exhaustis ratiocinatiua.

Vocatur mens, quatenus apprehendit.

Iudicium, quatenus iudicat, & proponit.

Ratio, prout diſcurrit.

Definitur, facultas ſpiritalis quæ ad præſentiam phantaſmatum ſpecies intelligibiles cudit.

Cognitio intellectus eſt.

Abſtractiua quâ vnum cognoſcitur per aliud, v. g. cauſa per effectum; vt cognitio quâ in hâcce vitâ Deum nouimus.

Intuitiua, quâ res in ſe videtur. Eſtque

Apprehenſiua, qua res ad modulum cognoſcentis attingitur; vt Deus ab homine in viſione beatificâ.

Comprehenſiua, quâ res eâ omni ratione cognoſcitur quâ cognoſci poteſt; vt cognitio quâ Deus ſeipſum nouit.

Intellectvs dupliciter ſpectari poteſt.

1. Prout *Phantaſmata* illuſtrat, & ad eorum præſentiam ſpecies intelligibiles cudit per quas obiecta cognoſcit, & *dicitur* intellectus agens.

2. Prout Imagines illas recipit per quas circa obiectum poteſt verſari, & appellatur intellectus patiens, ſ. poſſibilis.

Ad intellectum ſpectant.

Memoria intellectualis quæ eſt theſaurus, & promptuarium imaginum intelligibilium rerum priùs cognitarum cum tempus intercesſerit.

Homo præteritorum meminit, & reminiſcitur, præſentia intuetur; futura præſagit.

Reminiſcentia eſt.

Reſumptio per præſentem memoriam priùs habitæ, tum obliteratæ cognitionis; vt inquiſitio, & recuperatio notitiæ hominis, cuius obliuio nos cœperat, per locorum, ludorum, & ſimilium præſentem memoriam.

Differt memoria intellectualis à sensitiuâ, quod hæc sit tantum recordatio singularium sensibilium, illa verò sit singularium, & vniuersalium, sensibilium, & intelligibilium.

Reminiscentia differt à memoria, inquisitione, & comparatione.

EVIDENTIA, est cognitio rei; vt est in se.

Hæc fit cognoscendo propriam substantiam rei in se; *vt dum Angelus se ipsum cognoscit. v.* per speciem intentionalem rei; vt dum homo suam animam apprehendit.

Triplex potest esse euidentia, p.

Matutina, in VERBO Diuino.

Meridiana, in ESSENTIA Dei intuitiuè visâ.

Vespertina, in RE ipsâ.

CERTITVDO cognitionis est imperturbabilitas quâ quis noscit rem infallibiliter non posse aliter, & aliter se habere.

Ea *triplex est*, p. *subiecti*, s. *adhæsionis mentis*, *obiecti*, & *medij*, cum vtrumque est immutabile; *sic* qui cognoscit demonstratiuè connexionem existentiæ creaturæ cum existentiâ Dei, cum firmiter assentitur quod *Deus existat* triplicem hanc habet cognitionis certitudinem.

Iterum certitudo triplex, p:

Moralis	quæ nititur	*Ijs quæ ferè semper fiũt.*
Physica		ordine naturæ.
Metaphysica		essentijs rerum.

VOLVNTAS humana est appetitus rationalis; vt inclinatio ad honestatem.

VIS MOTRIX, est virtus quâ anima rationalis potest moueri localiter.

Libertas arbitrij, pertinet ad intellectum, & voluntatem, imò, & ad vim motricem; q eſt virtus actiua cuius radix eſt *intellectus*; ſedes autem, *voluntas*.

Intellectus humanus præ imbecillitate inter operandum poteſt à veritate deficere; necnon voluntas præ ſuâ indifferentiâ inter agendum ab honeſtate deſciſcere. Quamobrem neceſſaria eſt duplex diſciplina animæ rationalis perfectiua, *n.*

DIALECTICA, quæ mentem acuat, eamque infallibiliter ad veritatem ducat.

ETHICA, quæ voluntatem regat, & ad honeſtatem per certa benè beatéque viuendi præcepta dirigat. Quapropter de ijs nobis in poſterùm eſt dicendum.

Qui mentem mouet, & mores, poſſideat noſtros amores.

COMPENDIVM PHILOSOPHIÆ MORALIS.

VIRTVS est rationis complementum, & absolutio, potissimaque hominis excellentia: *Virtute* quippe *viuere*, est *ratione*, s. *honestè, beateque viuere*, itaut eo solum modo homines à belluis differre videantur: cum autem hominis vita sit via lubrica, in quâ qui non cadit titubat ob judicij peruersitatem, appetitus prauitatem, & cuiusvis potentiæ imbecillitatem; idcircò maximè necessaria est *lux*, quæ ipsius mentis caliginibus affulgeat, easque dissipet, & *dux* qui ipsum regat, voluntatisque infirmitatem corroboret atque fulciat, honestum à turpi, virtutem à vitijs discrepare demonstrando, & viam iustitiæ ostendendo. Is porrò est.

PHILOSOPHIA Moralis, quæ à Philosopho ex potissimâ eius parte *Politica* nuncupatur Græcè ἠθική ἀπὸ τῶ ἤθως à moribus.

Mores sunt assuetudines honestæ; vel turpes. hæ sunt *vitia*; illæ verò *virtutes*. In Deo nulli sunt mores; vt nec in Angelis. q. nullæ assuetudines.

Dicuntur officia vitæ, seu agenda, & fugienda in vitâ, *n. Declina à malo, & fac bonum.*

Definitur, scientia, & prudentia actionum humanarum per generalia præcepta bene viuendi ad honestatem directiua.

ACTIO-

ACTIONES humanæ, sunt actiones hominis liberæ. *Vnde* inclinatio voluntatis hominis in bonum vniuersim est actio hominis, quia fit ab homine, non est actio humana, quia non fit ex electione.

MORALIS duplex est, p.

Vniuersalis quæ præscribit officia cuilibet vitæ statui conuenientia.

Particularis, quæ tradit benè viuendi regulas certò vitæ statui peculiares, p. Monastica, Oeconomica, Politica.

Quatuor erunt Moralis vniuersalis Tractatus.

1.	erit de	*Causa finali*	actionum humanarum.
2.		*Principijs effectiuis*	
3.		*Speciebus*	
4.		*Proprietatibus*	

TRACTATVS PRIMVS

DE CAVSA FINALI ACTIONVM HVMANARVM.

CVM homo mores suos nequeat secundum honestatis leges regere nisi eos ad finem rectæ rationi congruum dirigat, nec possit ad optatum finem collimare, nisi ipsum desideret, *v.* cupere, nisi cognoscat; *ignoti enim nulla cupido*: ideò tam necessaria est homini notitia finis vt ipsum adipiscatur, quam Sagittario inspectio scopi vt metam assequatur.

Beatitudo est finis; finis omnis est bonus. Quamobrem priùs agemus de *bono*; tum de *fine*; postremò de *beatitudine*.

DE BONO MORALI.

OPTIME' veteres definierunt bonum; *id quod omnia appetunt*, collectiuè, *v.* distributiuè; sic Deus est optimus quem omnia appetunt; terræ medium est bonum lapidis, q. ab ipso appetitur.

Appetitus, est innatus, vel elicitus. *De quibus egimus in Physicis tractatu 4.*

Vterque triplex est, n.

1. *Naturalis* qui est impetus rei cognitione destitutæ in id quod sibi conueniens est; vt descensus lapidis in centrum. Germinatio plantarum.

2. *Sensitiuus*, est facultas, vel motio tendens in bonum ex præuiâ cognitione sensus; vt instinctus quo hirundo vere impellitur ad nidi confectionem.

3. *Rationalis*, est propensio in bonum præuiâ ratione cognitum; vt inclinatio voluntatis in honestatem.

BONVM morale est, *v.*

1. *Verum*, quod reuerà hominem perficit; vt virtus.

2. *Apparens*, quod reuerà hominem inficit, nec est quale apparet; vt furtum.

Bonum congruit animo; vt sapientia; corpori; vt sanitas: vel vtrique, vt opes. Hæ sunt externa s. fortunæ bona, illa interna, s. naturæ bona.

Bonorum, alia non sunt bona simpliciter, & dicuntur *facúltates*, quia ijs benè, vel malè vti possumus; vt bona naturæ, & fortunæ;

Alia sunt bona simpliciter quibus benè viuitur, & nemo malè vtitur, & sunt.

Laudabilia quæ ex naturâ suâ ad vlterius bonum tendunt; vt virtutis habitus ad actionem studiosam: est enim dispositio perfecti (maximè si sit inchoata) ad optimum.

HONORABILIA, sunt quæ sui gratiâ expetuntur, nec necessariò vlteriùs sunt referenda; vt excellentia præstantissimæ actionis.

LAVS inchoato, honor bono consummato debetur. Iuxta illud

Est honor in portu dum puppis ab æquore venit.
Laudibus *inceptum continuatur iter.*

BONVM iterum est.

1. *Honestum*, quod per se decet naturam rationalem; vt virtus: secluso enim quouis alio est optabilis, & sibimet ipsi merces.

2. *Iucundum*, quod parit delectationem; vt Dapes opiparæ, & exquisitæ.

3. *Vtile*, quod conducit ad aliud; vt opes, *naturales*, p. lana, oleum, vinum; *v. artificiales*; vt nummus.

Malum potissimè est.

1. *Turpe*, quod per se dedecet naturam rationalem; vt *ebrietas*, *auaritia*.

2. *Molestum*, quod parit dolorem; vt Chiragra, Podagra.

3. *Nociuum*, quod priuat bono; vt illicita voluptas.

Etenim nocet empta dolore voluptas.

DE FINE MORALI.

FINIS, à causâ finali distinguitur, quod ea dat esse; vt sapientia, studio; ille vero non item; vt lucrum respectu architecti.

Finis, est desideriorum terminus, quo obtento cessat motus.

Media, sunt ea quæ vsurpantur ad finem consequendum; vt studium, ad sapientiam.

QVOD est *primum in intentione est vltimum in executione*, & vicissim; vt sanitas est quid vltimum in executione, primum in intentione, pharmacum est primum in executione, vltimum in intentione.

FINIS est, *v.*

1. *Intermedius*, cuius gratiâ fit aliquid, & qui est propter aliud; vt victoria propter quam est prælium; ipsa verò publicæ pacis gratiâ.

2. *Vltimus* est ad quem cætera ita referuntur, vt non tendat vlteriùs: estque

Vltimus secundum quid, ad quod omnia in aliquo genere referuntur; vt sanitas in medicinâ.

Finis vltimus simpliciter, & in omni genere, est qui nullius gratiâ expetitur, & cuius gratiâ cætera expetuntur; vt beatitudo.

OMNIA agunt propter finem formaliter, vel materialiter.

Agere propter finem materialiter est moueri ad finem non cognoscendo rationem finis, idque fit sine vllâ præuiâ cognitione; vt in lapidibus, qui impetu naturali ad finem, sicut sagitta impulsu, ad scopum feruntur. vel præuiâ sensus cognitione; vt brutæ animantes quæ instinctu naturali rapiuntur in proprium bonum.

Agere propter finem formaliter est appetere finem cognitum secundum suam formam, & media secundum proportionem eorum cum fine; vt medicus qui cognoscit rationem sanitatis, & ordinem mediorum, & remediorum ad sanitatem conseruandam, vel restituendam.

Homo agit propter finem : *v.*

EXPLICITÈ, ſ. actualiter dum actu de fine cogitat propter quem operatur.

IMPLICITÈ, dum non cogitat actu de tali fine propter quem aliquid præſtat; idque fit tribus modis, puta

1. *Virtualiter*, dum actu de fine non cogitatur, ſed paulò ante cogitatum fuerat; ita vt actio fiat virtute præcedentis cogitationis : ſic viator licet non cogitet actu de loco ad quem tendit ; tamen illius gratiâ iter facit.

2. *Habitualiter*, eſt agere propter finem ex maximâ aſſuetudine; vt dum *ebrius* domum repetit, licet de repetendâ domo non cogitet, aut priùs cogitauerit.

3. *Interpretatiuè*, eſt agere propter finem de quo nunquam cogitatum fuit; ſed ita vt quis ſic affectus ſit; vt ſi de eo cogitaret propter ipſum ageret; ſic *ſtupidus* agit propter beatitudinem.

DE BEATITVDINE.

ADEO nobis radicitùs inſita eſt beatitudinis cupiditas, vt ipſam etiam *in*, & *ex* miſeriâ ſperemus, & expectemus, dum ſcilicet peruersè agimus; nihil etenim agendo contendimus, niſi vt contenti euadamus, & viuamus.

BEATITVDO, *dicitur*, ſummum bonum; quia nullum eſt eâ ſuperius.

Dicitur finis vltimus, quia eam ſui non alterius gratia peroptamus.

Græcè μακαρία ἀπὸ τῦ μάλιςα χαίρειν, quod beatitudo ſupremum in nobis ingeneret gaudium.

2. *Vim* inferunt pecunijs, quia impediunt ne humanis vſibus inſeruiant.

3. *Vim* denique inferunt omnibus; animas enim poſſidentium rapiunt. Vnde habeas quærit nemo, *inquiunt*, ſed oportet habere:

Auarus deterior eſt *ferro* quod nequit adhærere *auro*.
Auarus nulli bonus ſibi vero peſſimus.
Radix omnium malorum cupiditas.

2. LIBIDINOSORVM qui in pulchritudine, ſanitate & voluptate corporis quærunt ſummum bonum.

Vita libidinoſorum vita ſeruorum ſunt enim villa cupiditatum ſuarum mancipia; in ijs quippe pars ſerua, p. appetitus ſenſitiuus dominatur, & pars libera, n. ratio ancillatur, & ſubſeruit.

3. POLITICORVM qui in honore, nobilitate, potentiâ, magiſtratibus, & gratiâ apud principes ſuam beatitudinem collocant.

Eorum vita elegantior eſt, quoniam in apparentibus virtutis fructibus felicitatem ſtatuunt.

4. PHILOSOPHORVM triplex præſertìm.

STOICORVM quibus naturæ fortunæque muneribus deſtituta virtus beatos efficit.

PLATONICORVM quibus eſt Idea boni eiuſque intelligentia.

PERIPATETICORVM quibus eſt contemplatio orta ex ſapientia cum praxi virtutum moralium.

Vita Philoſophorum, vita hominum: nam beatitudinem reponunt in eo in quo humana ratio docet eſſe conſtituendam.

Beatitudo, naturalis eſt quæ conuenit homini ſecundum naturæ vires.

Supernaturalis, quæ contingit homini Dei gratiâ, & hæc in alterâ vitâ.

uersas fantasiæ imaginationes sanare valeat, debet principia morum effectiua cognoscere.

Ea porro sunt interna, vel externa.

Externa sunt extra hominem humanas actiones elicientem; vt qui imperio, consilijs, vel precibus mouent ad agendum n.

Deus inspirando, imperando, prohibendo.

Angeli, & homines excitando, & incitando.

Cœli, etiam concurrunt influendo.

Obiecta potentias mouendo.

Mala fortuna nocendo.

Prospera fauendo iuxtaillud.

Virtute duce, comite fortuna.

Interna congenita; vel acquisita sunt in homine moraliter operante; hæc labore, & exercitio comparantur; ista verò naturâ ad mores laudabiliter, & honestè instituendos parantur; quamobrem facultates morales nuncupantur.

DE PRINCIPIIS CONGENITIS ACTIONVM HVMANARVM.

EA potissimum sunt sunt quatuor, p. 1. *Intellectus*, & 2. *voluntas*, quæ sunt potentiæ partis superioris, & liberæ quæ vocatur *lex spiritus* & sunt per se rationales, 3. *Imaginatio*, & 4. *appetitus sensitiuus*; v potè facultates partis inferioris, & seruæ quæ vocatur *lex membrorum* sunt per se rationis expertes.

OBIECTVM *delectabile mouet imaginationem; ea verò vehementem in appetitu sensitiuo parit passionem; Vtraque autem facultas malè affecta peruertit*

indicium, quisque enim indicat; vt affectus est: tum monet intellectum ad attentiorem obiecti consideratio- nem: ea verò attentio capit. & rapit voluntatis in- tentionem. Dum praeripit ipsi alterius boni appetitio- nem, & sic voluntatem attrahit ad illicita ad quae tra- hebat, & propendebat passio.

DE INTELLECTV MORALI.

INTELLECTVS Moralis, est lux vitæ, lex morum, dux rationis.

In eo sunt *syntheresis, lex naturalis, conscientia, Moralis, Prudentia Iurisprudentia.*

SYNTHERESIS, est animæ custos, rectrix conseruatrix, quasi φωταγωγὸς καὶ παιδαγωγός.

Definitur, habitus primarum bene viuendi regularum, p. *neminem lædere suum cuique tribuere.*

monet, & impellit / *dimouet, & impedit* } dum { benè / malè } agendum est.

delectat, & recreat / *pungit, & angit* } dum agitur *v.* { bene / malè } actum est.

LEX naturalis, est actuale mentis dictamen quo naturæ, luce, & duce nouimus officia vitæ, p. doctis, & probis non esse inuidendum.

CONSCIENTIA, est cordis scientia, quasi conscriptus cordis codex, in quo quidquid latet, patebit.

Dicitur actuale mentis dictamen quo concludi-

mus ex vniuersali præcepto aliquod particulare; vt puta *hic*, *& nunc*, *huic viro probo*, *& docto non est inuidendum.*

Excusat, absoluit, delectat insontes licet accusentur, imò, & damnentur: est enim fax veritatis & sincera pax cordis; hinc illud poetæ.

-Murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Accusat, damnat, & torquet sontes, licet excusentur, absoluantut, & laudentur; ijs quippe est aculeus, & eculeus, quid enim prodest *laus*, vbi obest *fraus*.

CONSCIENTIA *mille testes*, *judex*, *supplicium prauis*, *gaudium probis.*

BONA conscientia, pascit quasi juge conuiuium mala depascit; vt juge jurgium.

REVS, *dicitur*, nocens, quod alijs noceat, Nocens, *dicitur* Reus, quod se continuò accusari reatur. *Iuxta illud.*

CONSCIVS ipse sibi de se putat omnia dici.

SONS, quamdiu crimen quod scientia improbat, & ei exprobrat, non delet, dolet: ipsumque conscientiæ vermis rodit, & odit.

INVETERATA *peccandi consuetudine deletur*, *& aboletur conscientia, in ijs qui bibunt iniquitatem*, *sicut aquam qui delectantur cum malè fecerint & exultant in rebus pessimis*; *quorum vita non est amplius* militia, *sed* malitia *super terram.*

DE VOLVNTATE MORALI.

VOLVNTAS Moralis, est domina totius suppositi, præcipuum morum principium; q. sui est, & aliarum potentiarum determinatiua, & officiorum vitæ electiua.

ACTIONES voluntatis sunt duplices, p.

1. *Elicita*, quæ immediatè exeruntur à voluntate, vt *honestatis amor*.

2. *Imperata*, quæ fiunt ab alijs facultatibus imperio voluntatis; vt *largitio Eleemosynæ*.

3. *Imperari* solitæ, sunt eæ quæ non fiunt, licet soleant exerceri imperio voluntatis; vt *motus manus* quam quis armatam vi impelleret in pectus amici.

IMPERIVM, est applicatio alicuius ad agendum cum denuntiatione: estque duplex: scilicet

1. *Politicum*, s. *ciuile*, cui potest resisti; vt *imperium magistratus in ciues*.

2. *Despoticum*, s. *herile*, cui resisti non potest; vt *imperium heri in mancipium*.

DE APPETITV SENSITIVO, *ET IMAGINATIONE.*

APPETITVS sensitiuus, est vehemens in bonum sensibile pronitas; hinc molestias virtutis auersatur, & vitii delicijs delectatur.

Rationi reluctatur in *incontinente*; nam in eo ratio dictat, *quid*, *&* *quomodo* sit agendum, sed à perturbationibus vincitur: *de quo dicitur*.

- Video meliora proboque
deteriora sequor.

Rationi paret in *continente*, in quo vehementes excitantur passiones, quas ratio vincit.

Multo magis subjicitur *in temperante* in quo omnia rationi parent, nec passiones animi tranquillitatem turbant.

IMAGINATIO est sensus interior exhibens appetitui sensitiuo bonum, & malum sensibile appetendum, vel fugiendum.

Deprauatur indecoro obiectorum aspectu, & turpi librorum lectione, quâ non oris, *v.* linguæ puritas, sed cordis, & animæ prauitas instillatur.

VOLVNTARIVM in homine oritur ex facultate cognoscitiuâ, & appetitiuâ. Quare hic nobis explicandum est.

QVID SIT VOLVNTARIVM.

CVM scientia sit oppositorum; hìc de voluntario, & inuoluntario agemus.

Voluntarium latè, est quod fit secundum inclinationem; & est.

1. *Naturale*, quod est secundum inclinationem independentem à cognitione; vt descensus lapidis.

2. *Spontaneum*, quod fit à principio intrinseco ex præuiâ cognitione sensus; vt appetitio fœni ab equo.

3. *Voluntarium* strictè, est quod fit à principio intrinseco cum perfectâ cognitione finis, seu *cognoscente singula in quibus est actio s. singulas circumstantias*, p.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

LIBERVM est, quod fit ex deliberatione, & electione.

VTRVMQVE, est *directum*, quod in se volitum est: vt pecunia, *v indirectum*, quod in alio volitum est; vt in auaritiâ, crudelitas.

Naturali, violentum; *spontaneo*, coactum; *voluntario*, inuoluntarium; *libero*, necessarium opponitur.

VIOLENTVM, *dicitur*, quasi vi allatum.

Definitur, id quod fit à principio extrinseco renitente passo: seu quod est, à principio interno contra inclinationem agentis cognitione destituti; vt *proiectio lapidis sursum.*

Coactvm, est quod fit à principio extrinseco contra inclinationem agentis cognitione præditi; vt *ouis mactatio.*

Involvntarivm, *dicitur*, quod est contra inclinationem agentis intellectualis, s.

Quod fit *vi*, vel *ignorantiâ*, vt detrusio hominis ad triremes; vel occisio amici vice feræ.

Necessarivm, *dicitur*, quod est ab agente determinato ad vnum; vt amor beatificus.

Necessitas, est determinatio ad vnum.

Vis strictè, *dicitur* de solis cognitione destitutis.

Propriè tamen, *dicitur* etiam de cognitione præditis.

Definitur, rei potentioris impetus cui resisti non potest, vt compulsio nauis in portum hostilem.

Coactio, est nisus actioni contrarius duplex est, p.

Sufficiens, quæ dicitur impulsio quâ non omnino cogimur; vt vis quam prædo viatori infert intentatione cædis; vt cedat pecuniam.

Voluntarium, iterum duplex est; purum quod fit absque vllâ repugnantiâ; vt largitio eleemosynæ ex liberalitate.

Non purum, s. mixtum quod fit cum repugnantiâ, vt contingit quandoque in iis quæ fiunt ex metu, cum ignorantiâ, per iram, & concupiscentiam.

DE METV.

METVS est animi motus ex mali expectatione, & est quidam affectus inter spem, & desperationem, & est duplex, p.

Vnus cadens in constantem virum, qui est fuga mali imminentis ardui vix euitabilis; vt dum hostis habet portas.

Alter non cadens in constantem virum; vt si quis leue malum, remotum, vel facilè propulsabile pertimescat; vt qui omnia tuta timet, qui ad vmbram arundinis, aut verme conspecto pauet, qui de sperandis desperat.

Hic degeneres animos timor arguit.

Pessimus in dubijs augur timor; nam mala auget, & bona speranda minuit. Plus, vt plurimum, est in metuendo mali, quam in eo quod timetur, vnde obfirmato animo mitescit metus.

Agit cum metu qui metum habet operationis suæ comitem; vt is qui primâ vice pugnat.

Agit ex metu, cuius metus est agendi causa; vt dum quis opponit manum capitis ictui.

DE IGNORANTIA.

IGNORANTIA est multiplex p.

Negatiua, f. absentia cognitionis debitæ; vt absentia artis cytharisticæ in sutore.

Priuatiua, est carentia cognitionis debitæ; vt defectus Logicæ in Professore Philosophiæ.

Ignorantia iuris est ignorantia legis, & præcepti, vt in eo qui venatur alicubi, nesciens ibi vetitam esse venationem.

Ignorantia facti, est cum ignoratur actum repugnare legi; vt si Chirurgus occidat eum quem sanare velit.

Ignorantia consequens dicitur ea quæ sequitur voluntatis consensum; vt qui discendi desidiâ aliquid nesciunt: estque

Directa s. affectata quæ expressè volita est in ijs qui libenter ignorant; vt posteà liberiùs peccent, quique nolunt intelligere vt sapiant.

Indirecta, s. crassa, quæ implicitè volita est; vt in iis qui non adhibent debitam diligentiam quâ agenda, fugiendaque noscant.

Concomitans, est ea quæ nec volita est, nec actionis causa, simul tamen est cum actione; vt cum ignoratur quod agitur, ageretur tamen si agnosceretur, sicut ille qui volens saxo petere canem, læsit nouercam, posteà admonitus dixit, non malè sic cecidisse.

Antecedens, est causa volendi, quod quis alioqui nollet; vt qui quod sciret non potuit inuenire; veluti si quis noctu per iter ignotum incedens cadat in foueam.

Quæ per eiusmodi ignorantiam fiunt, non deputantur ad culpam; hæc ignorantia est inuincibilis, cui facilè condonatur.

Ignorans agit, qui quod patrat non cognoscit, licet aliud quam ignorantia sit ipsi agendi causa; vt si quis iratus, aut ebrius hominem occidat.

Ex ignorantiá agit, cui mera ignorantia est actionis causa; vt dum quis interficit amicum volens occidere feram.

DE

DE CONCVPISCENTIA ET IRA.

CONCVPISCENTIA, hic est quæuis appetitus passio circa bonum; vt amor, desiderium.

IRA, est appetitus vindictæ.

Vtraque est.

1. *Antecedens*, quæ præcedit aduertentiam rationis, & electionem voluntatis; vt contingit in motibus primo-primis.

2. *Consequens*, est ea quæ sequitur liberum voluntatis consensum: vt ira excitata, vel non sedata dum oportet.

DE LIBERTATE ARBITRII.

LIBERVM arbitrium, est quoddam voluntarium, & vis rationis atque voluntatis. *Quamobrem hic explicatur.*

Liberum arbitrium, est dominium actionis per quod homo est sui iuris, & immunis à necessitate.

Definitur, potentia naturalis actiua indifferens ad opposita positis omnibus ad agendum prærequisitis; vt potentia loquendi, vel tacendi, & est *v.*

Libertas contrarietatis, s. ad speciem actus, quæ est indifferentia ad actus contrarios: vel obiecta contraria, p. ad amorem, vel odium; Vitam priuatam. vel publicam.

Libertas contradictionis, s. ad exercitium est indifferentia ad terminos contradictoriè oppositos, p. ad agendum, vel non agendum; ad commissionem, vel actus omissionem.

DE PRINCIPIIS ACQVISITIS ACTIONVM HVMANARVM.

EA sunt habitus actiui.

Habitus, actiuus est facilitas agendi actuum frequentatione comparata.

Habitus præsertim, sunt intellectus, & voluntatis.

DE HABITIBVS INTELLECTVS.

HABITVS intellectus, sunt laudabiles, vel non laudabiles.

NON-LAVDABILES sunt, in speculatiuis, *error*; in artibus, *imperitia*; in moribus *imprudentia*; in rebus fidei, si sit obstinacia *heresis* appellatur.

LAVDABILES sunt certi, vel incerti.

INCERTI, qui non excludunt dubitationem, p. *coniectura*, *suspicio*, *humana fides*, *opinio*.

HVMANA fides, est habitus quo assensum, vel dissensum præbemus reuelatis ob hominum authoritatem; vt notitia quæ habetur beneficio historiæ profanæ.

OPINIO, est habitus cognoscitiuus per rationem probabilem: vt dum iudico aliquem esse liberalem quod largiatur eleemosynam.

HABITVS certi, sunt qui excludunt omnem dubitationem, & quinque recensentur ab Aristotele, nempe *intelligentia*, *sapientia*, *scientia*, *prudentia*, & *ars*.

INTELLIGENTIA, est habitus cognoscitiuus

axiomatum, ſ. primorum principiorum, p. totum eſt maius ſuâ parte.

Sapientia, dicitur quaſi ſapida ſcientia.

Sapientia, eſt *v.* in omni genere, vel in aliquo genere, ſapientia in aliquo genere, eſt ea quâ quis dicitur *ſapiens* ſecundum quid, ſapientia in omni genere, quâ quis dicitur *ſapiens* ſimpliciter, hæcque dicitur cognitio concluſionum in principiis.

Definitur, etiam cognitio rerum altiſſimarum per altiſſimas cauſas; vt cognitio immortalitatis Dei per eius immutabilitatem.

Scientia, eſt cognitio rei neceſſariæ per proprias cauſas; vt cognitio deſcenſus lâpidis per grauitatem.

Prudentia, eſt recta ratio agendorum; vt dum noſcimus *per quod quiſque peccat, quod per id & puniatur*; *v. ſcelus in authorem redit.*

Definitur, habitus verâ cum ratione actiuus, qui verſatur circa ea quæ homini bona ſunt, vel mala.

Ars ita dicitur quod ſocordiam arceat.

Dicitur recta ratio efficiendorum.

Definitur habitus verâ cum ratione effectiuus, qui verſatur in productione eorum quorum principium rectitudinis eſt in præceptis, ſ. regulis, non in opere faciendo; vt Rhetorica: principium enim rectitudinis orationis perſuaſiuæ, non eſt in ipsâ oratione, ſed in præceptis Rhetoricæ.

Vtraque, ars, *n.* & Prudentia, eſt collectio præceptorum ad finem vitæ vtilium.

In actione prudentiæ habetur ratio intentionis, in opere artis, habetur ratio induſtriæ.

Ars, eſt, vel

1. *Liberalis*, quæ ingenuum, & liberam hominis

partem decet, quia in eâ plus valet *mens* quam *manus*, quæ vulgò hoc versiculo enumeratur.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, (Astra.

2. *Mechanica*, s. seruilis, quæ spectat ad seruos, seruamque hominis partem, quia in eâ plus valet *manus* quam *mens*. Hinc *dicitur* manuaria, & vulgò hoc versiculo recensetur.

Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

3. *Princeps, Æthiologica, s. Architectonica*, est ea quæ reddit rationem eorum quæ operatur; vt *Architectura* in architecto; *ars militaris* in Imperatore; *Nautica* in perito nautâ.

4. *Ministra*, est ea quæ non reddit rationem eorum quæ agit; vt ratio secandi, perpoliendi, & aptandi lapides in latomo; *ars militaris* in gregario milite.

DE VIRTVTE, ET VITIO.

VIRTVS, *dicitur* id quo res viret, & viget. *Generatim*, est id quod ducit aliquid ad suum finem; sic intelligentia, & quivis habitus rectus, *dicitur* virtus mentis; quia infallibiliter ducit intellectum ad notitiam veritatis, quæ est finis intellectus.

Dicitur, à Philosopho bonum reddens habentem, & eius opus bonum; vt *sagacitas videndi*, quæ efficit visum bonum, & visionem bonam.

Virtus Moralis, dicitur *decorum*; quia spiritalem decorem, & splendorem actui conciliat.

Dicitur mediocritas; quia est inter excessum, & defectum. v. q. per eam actus non excedit. *nec* culpabiliter deficit.

Definitur, habitus electiuus in mediocritate consistens, eâ quæ ad nos est definitâ iudicio viri prudentis.

Virtutis triplex est status.

1. Continentiæ in quo vehementes excitantur passiones, quas ratio molestè, & difficulter superat; eo ferè modo quo Equus nondum expertus frænum difficulter ab aurigâ cohibetur.

2. Est temperantiæ, in quo actus honesti cum voluptate fiunt, & ratio plenum habet in passiones dominium; vnde nullæ, vel leues excitantur, quas ratio facilè cohibet.

3. Est heroicus, in quo virtus supra communem hominum sortem euecta, actus ordinariis præstantiores exerit.

VITIVM vniuersim, est quæuis priuatio perfectionis.

Vitium morale, est peruersus habitus voluntatis.

Definitur, habitus deflectens à iustà mediocritate per excessum, vel defectum.

Peccatum, est actio turpis, s. deformis rectæ rationi, vel omissio rei debitæ; vt omissio cultus diuini.

Triplex est vitii status.

1. Est incontinentiæ, in quo quis refragante ratione, cedit molestiis quas plerique vincunt. Duplex est, n.

Temerarius qui rationis consilium non spectat, v. expectat, sed insurgentis passionis impetum statim sequitur, isque similis est seruis qui tentant exequi mandata, priusquam ea perceperint.

Infirmus qui consilium rationis expectat, at in eo non permanet. Hic status similis est ciuitati, in

quâ sunt bonæ leges quæ malè obseruantur.

2. *Intemperantia*, cum quis ita iudicio deprauatur vt nullâ, vel leui passione impulsus voluptatum excessus eligat, & modicos dolores non superet. Hic status similis est ciuitati in quâ prauæ leges obseruantur.

3. *Feritatis*, s. immanitatis, cum quis propter improbitatem infra cognitionem hominum sortem ad belluarum conditionem deprimitur. Ille status similis est ciuitati in quâ nullæ sunt leges, sed peruersitas dominatur.

DE VIRTVTIS DIVISIONE.

VIRTVTES subordinatæ sunt subiectiuæ, integrantes, potentiales.

Subiectiua, sunt species.

Integrantes, sunt dispositiones ad assecutionem virtutis.

Potentiales, sunt virtutes quæ magnam habent cum aliâ affinitatem.

Virtus iterum est *Theologica*, quæ circa Deum immediatè occupatur; vt fides, spes, charitas. *v.*

Moralis, quæ circa res humanas versatur, & est princeps, s. Cardinalis, vel subordinata.

CARDINALIS, quadruplex est n. prudentia, temperantia, iustitia, & fortitudo.

Dicuntur Cardinales, quia iis veluti cardinibus quæuis humana benè viuendi ratio vertitur.

DE PRVDENTIA.

PRVDENTIA est, oculus, & rectrix aliarum virtutum.

Dicitur, virtus Cardinalis quæ præscribit cuilibet virtuti debitam mediocritatem.

Partes subiectiuæ illius sunt Monastica, Oeconomica, Politica.

Partes integrantes sunt.

Memoria / *Intelligentia*	quæ est notitia	præteritorum / præsentium
Docilitas / *Solertia*	est idoneitas ad	capessendam disciplinam / excogitanda media.

Ratio, est processus à cognitis ad cognoscenda quæ procuranda sunt, vel cauenda.

Prouidentia, est virtus ordinatrix mediorum ad finem. Hinc prouidens dicitur quasi porrò, s. à longè videns.

Circumspectio, est attenta consideratio circonstantiarum in opere.

Cautio, est attenta solicitudo ad euitanda incommoda in opere.

PARTES potentiales sunt

Eubulia, quæ est vis bene consultandi de agendis.

Synesis, est habitus rectè iudicandi de agendis secundùm communes regulas citra longam deliberationem.

Gnome, est virtus emendatrix legis deficientis in casu particulari.

PRVDENTIÆ opponitur.

Astutia quæ est promptitudo ad callidè decipiendum.

Imprudentia, quâ temerè agimus, vel agere omittimus, & est, v.

Præcipitatio, quæ oritur ex defectu debitæ consultationis.

Inconsideratio, cum singula satis non perpendimus.

Inconstantia, s. desitio à recto proposito.

Negligentia, s. animi deliquium inter operandum.

Imprudens, est qui temerè, id est præcipitanter, inconsideratè, inconstanter agit, v. negligenter res suas omittit,

DE TEMPERANTIA.

TEMPERANTIA, est custos prudentiæ dicitur, σωφροσύνη quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν. Est virtus moderatrix voluptatum gustus, & tactus.

Partes eius subiectiuæ sunt.

Abstinentia in cibo.

Sobrietas in potu.

Pudicitia } in tactu.
Castitas }

Integrantes sunt, verecundia, s. affectio turpitudinem intemperantiæ fugiens.

Honestas, est prosecutio eius quod decorum est in temperantiâ.

Partes potentiales ſunt.

Continentia, quæ temperat motus voluntatis paſſione commotæ, ſ. diſpoſitio temperantiæ.

Humilitas, ſ. virtus quâ homo ob propriam excellentiam non effertur.

Manſuetudo	est virtus moderatrix	Iræ
Clementia		punitionis aut vindictæ.
Modeſtia		geſtuum corporis
Parcitas		ſumptuum.
Simplicitas		luxus veſtium.

Vitia temperantiæ oppoſita ſunt.

Intemperantia, ſ. nimia propenſio ad voluptates guſtus, & tactus, p. gula, luxuria.

Stupor, eſt nimia voluptatum guſtus, & tactus auerſio; vt in eo qui neceſſaria ad vitam nollet ſumere.

Fortitudo, eſt conſtans, & laudabilis contemptus doloris, aut mortis, ſ. mediocritas in metu, & confidentia, eſtque

Aggreſſio, *v.* ſuſtinentia terribilium vbi mors imminet publici boni gratiâ.

Definitur virtus moderatrix timoris, & audaciæ in bello iuſto.

P A R T E S integrantes ſunt.

Fiducia, ſ. promptitudo ad aggrediendum, vel ſuſtinendum.

Magnificentia, ſ. magnitudo animi ad viriliter exequendum quæ amplo propoſito ſuſcepta ſunt.

Patientia, quæ fulcit animum ne imminentium malorum, & dolorum grauitate frangatur aut defatiſcat.

Perseuerantia est indefessa firmitas ne mens in arduis diuturnâ difficultatum perpessione fatigetur, languescat, aut desistat.

Partes potentiales sunt.

Magnificentia, circa magnos sumptus.

Patientia, est perseuerantia in arduis, & difficilibus sustinendis distinctis à periculis bellicis.

Opponitur fortitudini, per defectum *ignauia*, per excessum *temeritas*.

Ignauia, est vitium quo quis turpi fugâ eligit potiús vitæ consulere quam honestè pericula aggredi, vel sustinere.

Temeritas, est vitium quò quis inconsideratè quæuis pericula aggreditur: temeritas est simia fortitudinis, non item ignauia.

Audacia, & temeritas promiscuè vsurpantur: Audacia tamen aliquando est animi magnitudo. Vnde illud

Audaces fortuna juuat timidosque repellit.

DE IVSTITIA.

IVSTITIA, Iurisconsultis, est constans, & perpetua voluntas suum cuique tribuendi.

Philosophis moralibus, est virtus Cardinalis quâ prompti sumus iusta velle, & facere.

Iustitiæ partes subiectiuæ sunt.

1. *Iustitia* legalis, quæ inclinat ad omnium legum cultum, & obseruationem ob bonum ciuitatis in quâ degimus.

2. *Iustitia* particularis, quæ inclinat ad reddendum cuique quod suum est, & est triplex, n.

1. *Distributiua*, quæ versatur in distributione hono-

rum bonorumque ciuibus communium.

2. *Commutatiua* quæ versatur in commutationibus ſ. contractibus.

Contractus est voluntarius qui est gratus vtrique contrahentium; vt emptio, locatio: *v.*

Inuoluntarius qui non est vtrique acceptus, vt cum quis altero inuito vtitur eius re, personâ, operâ.

Duplex est, Clandestinus qui fit clam; vt furtum: violentus qui fit vi; vt deprædatio.

3. *Vindicatiua* ea est quæ adæquat pœnas crimini.

Æquitas, est justitia emendatrix legis ob eius vniuersalitatem deficientis, sic opus fuit æquitate quæ corrigeret legem à Lacedemonijs latam de supplicio iis afficiendis, qui relicto clypeo in bellum fugerent, dum omnes ferè Lacedemonij in fugam relicto clypeo fuerunt conuersi. *Minima* quippe *circonstantia mutat Ius.*

Iurisprudentia Iurisperitis, est rerum diuinarum, & humanarum notitia, iusti iniustique scientia.

Definiri potest disciplina iuris diuini, & humani secundùm leges cognoscitiua.

Ius, dicitur quasi iussum; est enim id quod natura, gens, populus, ciuitas, consuetudo sequi, *v.* fugere iubet.

Ius, dicitur etiam quod est iustum, ſ. debitum.

Iustum, est quod æquale est iuri; vt si reddas depositum, vel centum nummos ei à quo centum mutuatus fueris.

Ius est, vel publicum, vel priuatum.

Ius publicum est quod ad totius Reipublicæ statum spectat.

Ius priuatum, est quod ad singulorum vtilitatem pertinet. Estque

Diuinum quod diuinâ lege sancitum est; vt circumcisio, Baptismus.

2. *Naturale*, quod omnes natura docuit; vt liberorum educatio.

Positiuum, quod ab hominibus constitutum est boni, & æqui gratiâ. Estque

Ius gentium, quo peræque omnes gentes vtuntur; vt belli susceptio, pacis sanctio, humana legatorum admissio, &c.

Ciuile, est quod ciuitas exigente casu humanisque necessitatibus consentiente populo stabiliuit lege, *v.* consuetudine.

Ius ciuile, est quid additum, *v.* detractum iuri communi ex constitutione populi, p. Atheniensis, Lacedemonii, Romani.

Sicut Imperatoris est leges condere, sic & summi Pontificis est Canones constituere; hinc natum est.

Ius Canonicum quod est quid ab Ecclesiâ ordinatum; vt obseruatio ieiunii quadragesimalis.

Summum ius, summa iniuria.

Lex, à legendo, quod videlicet publicè legenda proponatur; vel à ligando, *dicitur*, *n.* quia est vinculum societatis, *v.* quod obliget, etenim eius obseruatio est ciuitatis protectio.

Lex dicitur recti præceptio, & praui prohibitio.

Mali mores fecerunt bonas leges.

Talio est, vt quis quantùm intulit tantùm damni referat, scilicet dens pro dente, manus pro manu, &c.

TRACTATVS TERTIVS

DE SPECIEBVS HVMANARVM ACTIONVM.

OMNIS actio humana est honesta, *v.* turpis Hæc est vitium; illa virtus.

Actio humana iterum est intellectus, voluntatis, imaginationis, vel appetitus sensitiui.

Actiones intellectus sunt.

1. PROPOSITIO finis.

2. DELIBERATIO, id est inquisitio, & examen mediorum.

Definitur, actus mentis, media fini assequendo idonea inuestigantis; vt aptius inueniatur quod à voluntate acceptetur.

Consultare, s. deliberare est media indagare, & ea inter se conferre, vnde oritur.

3. SENTENTIA mentis, quæ est iudicium de aptiori medio eligendo.

DE ACTIONIBVS VOLVNTATIS *CIRCA BONVM, ET MALVM.*

ACTIONES elicitæ voluntatis circa malum sunt.

1. NOLITIO, fuga, s. auersio voluntatis ab aliquo; vt odium peccati.

2. TRISTITIA, est displicentia voluntatis quod fine caruerit.

ACTIONES elicitæ circa bonum sunt tres circa finem, & totidem circa media.

ACTIONES voluntatis circa finem sunt.

1. VOLITIO, quæ latè est quæuis propensio voluntatis in bonum.

Hic autem est actio voluntatis orta ex notitiâ finis secundum se, siue sit possibilis, siue non.

2. *Intentio*, est motus uoluntatis in finem cognitum; vt possibilem comparandum, s. efficax propositum finis assequendi, vnde illud.

Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes,

3. FRVITIO, est complacentia, delectatio, & quies in fine possesso.

ACTIONES voluntatis circa media sunt.

1. ELECTIO, quæ est appetitus præconsiliati, s. acceptio vnius præ alio ex præuiâ consultatione, vt optio vitæ priuatæ potius quam publicæ: eligere quippe est vnum è multis legere. Quamobrem ad electionem plura requiruntur media.

2. CONSENSVS, dicitur quasi nutus voluntatis cum assensu mentis.

Est prosecutio medij sententiâ intellectus determinati; vt dum mercator suscipit proiectionem mercium, quam iudicauit vnicum vitæ conseruandæ medium.

In consensu vnicum tantùm reperitur medium.

3. VSVS, est actus voluntatis media ad finem obtinendum applicantis; estque

1. *Passiuus*, s. imperatus qui est operatio facultatis motæ à voluntate, vt ambulatio.

2. *Actiuus* est actus immediatè, elicitus à voluntate.

Ordo operationum intellectus, & voluntatis circa

finem, & media fit eâ ratione Intellectus, v. g. exhibet ægroto sanitatem, eam voluntas amat, & prosequitur; intellectus postea media inuestigat, & inuenta inter se comparat, æstimatque venæ sectionem aptiorem esse sanitati reparandæ quam pharmacum: voluntas annuit, ægrotus brachium porrigit; vt aperiatur vena obtinet sanitatem, obtentâ sanitate delectatur, & quiescit.

DE ACTIONIBVS IMAGINATIONIS, *ET APPETITVS SENSITIVI.*

ACTIONES imaginationis, sunt cognitiones quibus imaginatio repreſentat appetitui ſenſitiuo bonum, vel malum ſenſibile proſequendum, vel fugiendum; vt exhibitio ſuauitatis potus, & moleſtiæ ſitis.

Variæ ſunt pro varietate obiectorum, & affectionum.

ACTIONES appetitus ſenſitiui ſunt affectiones, ſ. paſſiones.

AFFECTIO, *dicitur*, paſſio, licet ſit actio appetitus, quia ijs homo videtur magis agi, & pati, quàm quicquam agere, vel patrare.

PASSIO, *definitur*, commotio appetitus ſenſitiui ex apprehenſione boni, vel mali ſenſibilis cum notabili corporis mutatione.

Sex ſunt in appetitu concupiſcente, quinque in iraſcente.

Paſſiones appetitus concupiſcentis ſunt *amor, odium, deſiderium, fuga, gaudium, triſtitia*

DE PASSIONIBVS SIGILLATIM.

1. AMOR, qui eſt affectus appetitus concupiſcentis circa bonum ſecundum ſe, ſiue ſit præſens ſiue abſens.

Amor defectus tegit, odium detegit; alia quippe videntur amantibus, alia odio habentibus; quiſque etenim judicat; vt affectus eſt.

2. ODIVM, eſt auerſio mali ſecundùm ſe.

Odium ſuſcitat rixas, charitas ſedat excitatas.

Definitur, paſſio appetitus concupiſcentis malum quatenus malum auerſantis.

3. DESIDERIVM, eſt libido eius quod nondum adſit.

Definitur, affectio appetitus concupiſcentis, quæ verſatur circa bonum ſenſibile vt abſens.

4. FVGA, eſt affectus animi concupiſcentis, quæ verſatur circa malum ſenſibile prout eſt abſens.

5. GAVDIVM, eſt effuſio ſanguinis, & ſpirituum ad exteriores partes, *v.*

Eſt geſtiens animi delectatio concepta, & percepta ex boni præſentis recreatione.

Definitur, affectio appetitus concupiſcentis circa bonum ſenſibile prout eſt præſens.

6. TRISTITIA, eſt apprehenſio rei diſconuenientis, euenientis appetitui nobis inuitis.

Definitur, paſſio appetitus concupiſcentis circa malum præſens.

faciem decorabit lætum cor
לב שמח ייטיב פנים
confractus ſpiritus cordis dolore in &
ובעצשבת לב רוח נכאת

ſ. Cor

℟. Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur Spiritus.

PASSIONES appetitus irascentis sunt *spes, desperatio, audacia, metus, & ira.*

1. SPES, est quâ quis id quod optat, se adepturum existimat.

Dicitur, affectus appetitus irascentis circa bonum sensibile arduum, & difficilè cognitum vt acquisitu possibile.

2. DESPERATIO, est ægritudo animi sine vllâ rerum meliorum expectatione.

Definitur, passio appetitus irascentis circa malum sensibile absens, arduum, & difficilè cognitum vt impossibile.

3. AVDACIA, *dicitur* aliquando animus, & sic est stimulus fortitudinis; *iuxta illud*, aude aliquid, si vis esse aliquis.

Hic, autem est passio appetitus irascentis circa malum sensibile absens, arduum, cognitum vt propulsabile.

Metus Physicè, est refluxus caloris ad cor, & amarus bilis in ventrem fluxus.

4. METVS *Moraliter*, est passio appetitus irascentis circa malum sensibile, arduum, absens, cognitum vt vix eluctabile.

Timor, est metus aduersus inhonesta hominem efficiens meliorem *de quo* P*saltes*, initium sapientiæ timor Domini.

Verecundia, est metus qui rubore ingenuam frontem falsi criminis obiectione suffundit.

Pudor, est metus, & Pœnitentia ex turpitudine mali commissi.

5. IRA, est vesanus animi tumor, & bilis ex-

candescentis æstus in corde sedem habens. s. ebullitio sanguinis circa cor.

Definitur affectus appetitus irascentis circa malum arduum absens cognitum; vt ineluctabile.

iram	auertit	mollis	resp onsio
חמה	ישיב	רך	מענה

furorem facit ascendere, doloris verbum &

אף	יעלה	ודבר - עצב

s. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.*

TRACTATVS QVARTVS

DE PROPRIETATIBVS ACTIONVM HVMANARVM.

POTISSIMÆ humanarum actionum *affectiones* sunt honestas, & turpitudo.

HONESTAS, *dicitur*, quasi honoris status, & firmitas.

Est splendor, & decor actionis honestæ, s. integritas actionum humanarum, id est debita obiecti finis, & circumstantiarum complexio.

MALITIA actionis humanæ, est excessus, v. illius defectus. s.

Priuatio rectitudinis debitæ in commissione, *v.* omissione; p. legitimi finis, laudabilis obiecti, *v.* requisitæ circumstantiæ.

Bonas actiones sequuntur laus, gloria, honor, meritum, amicitia.

P*rauas* vituperium, & demeritum.

Vtrasque fama, voluptas, dolor.

Fama, eſt multorum de aliquo ſermo qui vires acquirit eundo.

Cætera ſi perdas famam ſeruare memento.

Voluptas, eſt complacentia orta ex actione congruâ. Eſt velut actionis condimentum.

Dolor, eſt diſplicentia ex actione diſſentaneâ.

Demeritum, eſt dignitas punitionis.

Vituperium, eſt imputatio malefactorum, ſeu

Oratio peccati vitijque turpitudinem manifeſtans.

Laus hominibus; vt thus Deo defertur dicitur ἀπὸ τῦ λάϋ, quod ſit populi conſenſus, & prædicatio de alicuius virtute.

Eſt commendatio virtutis, vt ad quid meliùs, & perfectius promoueatur. *ſ.*

Oratio virtutis magnitudinem elucidans.

Magnum eſt laudari nolle, & eſſe laudabilem; attamen à bonis laudari decus eſt; vt à malis dedecus, laus quippe malorum contemptum parit, bonorum verò, æmulationem; *Æmulatio*, virtutem; *virtus*, fœlicitatem.

Vnde rectè dicitur *laudari à laudato viro*; Nam ij impios, & ignaros quoque laudant.

Ante mortem ne laudes hominem; ſic enim laudantem non mouet *adulatio*, nec laudatum *elatio*; eumque tamen lauda parcè, vitupera parciùs.

Gloria, eſt virtutis vmbra quæ inuitos etiam comitatur. *Vnde illud*

Captantem refugit, fugientem captat vt vmbra
Gloria poſt ſeqs itur, præ velut vmbra fugit.

Gloria, *dicitur*, frequens, & crebra de alicujus virtute cum laude fama.

Conſentiens laus bonorum, & incorrupta vox

benè iudicantium de excellentiâ virtutis.

Vita laudabilis equidem vita breuis, at illius gloriæ cursus sempiternus vitæ breuitatem perenni posteritatis memoriâ consolatur, nulla siquidem est speciosior, precisiorque statua, quam honorifica bene actæ vitæ memoria.

Breuis ad gloriam via; *n.* virtutis semita. Ab eâ ne deflectes liuoris gratiâ, nam incedentibus per solem vmbra, per gloriam verò comes est inuidia; vt enim flamma sine fumo, vitium sine fuco, sic nec fama est sine liuoris odio.

Amicitia, est mutua beneuolentia; amicus enim est qui amat & redamatur; iuxta illud, *si vis amari, ama.*

Amicitia, definitur, *mutua beneuolentia ex notitiá probitatis orta, non latens, confirmata*; Etenim virtute nihil firmiùs, at *Amicitia* solâ virtutis honestate innixa debet fulciri.

Inutilis etenim est amicitia, quæ vtilitatis spe contrahitur.

Lvbrica est, titubans, labilis, & vitro fragilior quæ cum poculis ingeritur; nam vt plurimùm cum vino accessit, & euanescit.

Nam is amicus cum fortuna amico non ridet, ipsum ridet. Vnde rectè canit Poëta

Donec eris fœlix multos numerabis amicos
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Amicitiæ venustas, *vetustas.* Quod enim est erga inimicos *cautio*, id erga amicos est *constantia*; amicum igitur sic probes; vt electum non reprobes, certus amicus rebus in incertis, imò frater in angustijs comprobatur; etenim omni tempore diligit qui verè amicus, inquit, Regum sapientissimus.

SVCCINCTA POLITICÆ ET OECONOMICÆ DELINEATIO.

Monastica		Vnius	
Oeconomica	est disciplina	Familiæ	ad honestatem directiua.
Politica.		Ciuitatis	

OECONOMICA, & POLITICA sunt societates.

Societas, est plurium ad commune bonum coniunctio.

Omnium societatum nullâ præstantior, aut firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti.

Homo ad societatem natus est; cum sit animal ciuile, & naturâ suâ societatis amans. *Vnde* homo solitarius, si ita degit odio societatis, est *fera*, si ita viuat ob vitæ sufficientiam est *Deus*.

Natura posuit fundamenta societatis; hanc hominum institutio absoluit, atque compleuit; vt probat multiformis apud varias gentes, regiminis varietas.

Societas stat efficiorum, conditionum, diuersorumq; statuum inæqualitate; vt enim totum corpus humanum non est *pes*, *oculus*, *v. manus*; sed alia est pars quæ sit *caput*, *stomachus* &c. pariter tota Respub. non est solus *Princeps*, *Iudex*, *Mercator*, *miles*, aut *Agricola*, sed ex his omnibus coalescit.

Quamobrem non stat societas, nisi quidam digni-

tate præſtent, & alij authoritate polleant. Socie-tas enim; vt & aliud quodlibet ordine continetur. In ordine autem ſunt quædam priora, ſ. ſuperiora, quædam poſteriora, ſ. inferiora. vnde ſocietas con-ſeruari nequit niſi quidam imperent, & delinquen-tes ad violatum ordinem reducant; alij verò ob-temperent, & morem gerant; id autem non fit ſine imperio quod eſt *actus ordinantis, & cum intimatio-ne ad agendum mouentis*.

Prima omnium	societas eſt	Viri, & vxoris.
Secunda		parentũ, & liberorũ
Tertia		Domini, & ſerui.
Quarta		Ciuis, & ciuis ad cultũ pacis & belli.

Ex viro, & vxore, parentibus, & liberis; Do-mino, & ſeruis, ſi adſint poſſeſſiones ad vitam ſuf-ficientes fit *perfecta familia*.

Ex familiis ſparſim habitantibus fit *Pagus*; vnde *Pagani* dicuntur *ruris incolæ*.

Ex multis familijs collectis fit *vicus*; ex pluribus vicis, *ciuitas*, ex ciuitatibus prouinciæ, & regna.

OECONOMICA eſt ordo familiæ.

Eſt ſocietas ad actus vitæ quotidianos p. conui-ctum, conuerſationem, cohabitationem &c.

ſ. Diſciplina familiæ ad honeſtatem directiua.

Quatuor in familiâ conſiderantur; p. vir, & vxor; parentes, & liberi; Dominus, & ſerui; fa-miliæ inſtrumenta, p. poſſeſſiones. *Hinc*

TRIPLEX eſt in familiâ συζυγία, p.

Coniugalis	ex	Viro, & vxore
Patria		parentibus, & liberis
Herilis		Domino, & seruis.

Ad ipsius quoque fœlicitatem requiruntur possessiones.

Pater-familias, dicitur οἰκοδεσπότης, virum, & vxorem vincit *coniugium* quod est vnius viri, & fœminæ indissolubili vitæ, omniumque casuum communione ad liberorum educationem, & familiæ sustentationem coniunctio.

Vinculum coniugum, est reciproci amoris fidelitas, & assiduâ cura familiæ.

Vir est caput mulieris, q. eam regere, ipsa Regi, ipse dominari, ipsa vero subjici debet, nec ancillari dum secùs contingit res familiaris malè cedit.

Necesse est parentes susceptos liberos diligere, educare, instituere, f. officia vitæ docere sic viciffim parentes liberi debent colere, obseruare, ijs morem gerere, & in omnibus dum opus est opitulari.

Obstetrix educit, nutrix educat, instituit Pædagogus.

Officium herile, est seruos fideles & laboriosos dirigere, seruare, & debitâ mercede donare, prauos dimittere.

Seruorum, & ancillarum munus erga heros est fidelitas, & promptum assiduumque in operis exequendis obsequium.

ratione ambitus, & ambitionis, nec non potentiæ magis quam virtutis, & doctrinæ.

DEMOCRATIA, est ea in quâ *Plebecula* sibi administrandi Ius arrogat pro ratione multitudinis, non autem magnitudinis, aut rei dignitatis.

In eâ; vt nullus est census, nec caput est, nec ratio, sed inordinata rerum perturbatio.

In ciuitate 4. considerantur p.
- Princeps, consilium.
- Leges, Iudices.
- Militare præsidium.
- Religionis cultus.

PRINCEPS, f. *primùm caput*, est is penes quem est summa rerum, legum ferendarum auctoritas, &c.

In Regno, is est REX, à rectè agendo dictus, nam qui rectè agit aptus est qui regnet. vt

Rex sine iustitiâ, est sine remige Nauis in vndâ.

In Aristocratiâ, est *Senatus*, f. senum optimatum cœtus.

In Timocratiâ, Populus; vt Friburgi in Heluetiâ.

Lex, est ordinatio principis in commune bonum promulgata.

Moses, Hebreis; Zoroastes, Persis; Minos, Ægyptiis; Solon, Athieniensibus; Phoroneus, Argiuis; Minos, & Rhadamantus, Cretensibus; Licurgus, Lacedemonis; Zamolxis, Getis; Charondas, Thurcijs; Tzinciscanis, Scythis; Numa Pompilius Romanis, legem sanciuere.

Lex habet diuinum quid. Vnde legum conditores, diuino numine creduntur afflati, est enim diuinæ rationis quædam participatio.

Fide constat Mosem à Deo suas leges accepisse.

modus falsitatis effingendæ. Deus vnus vult vnâ Religione coli, ea est Romana cuius capitis censuræ mea lubens scripta subjicio, etenim hoc est *petra supra quam Christus fundauit Ecclesiam suam*, ipsa verò *est columna*, & *firmamentum veritatis, aduersus quam portæ inferi non præualebunt*. Quamobrem ipsi.

Sit fidelis, & perennis ab omnibus obseruantia.

INTRODVCTIO
AD VNIVERSAM
LOGICAM.

NON minùs Logicæ quam Metaphyſicæ inſtitutio ad ſcientias perfectè comparandas, eſt ſummè neceſſaria, quia ſicut Metaphyſica omnes diſciplinas vniuerſaliſſimorum terminorum, tum principiorum expoſitione fulcit, certitudine firmat, & claritate illuſtrat: ſimiliter eas Logica ſuis benè differendi regulis dirigit, & ordinat, iiſque formam ſubminiſtrat. Vnde iure merito ſcientiarum *organum* appellatur.

LOGICA dicitur à nomine λόγος, ratio, ſermo, quod ſit ſcientia rationis, & ſermonis directiua.

Dicitur etiam Dialectica à Verbo διαλέγεσθαι diſputare, quod doceat modum in vtramque partem probabiliter diſputandi. Eſtque

1. *Naturalis*, id eſt ſolertia, *v.* mediocre mentis lumen ad differendum ſolius naturæ luminis ductu.
2. *Acquiſita*, eſt facilitas bene differendi vſu, & aſſuetudine parta: & hæc, vel non affert cauſas rectitudinis, aut prauitatis ſermonũ, vocaturque experimentalis, ſ. peritia Logica: vel affert cauſas cur recti, vel praui ſint ſermones, & eſt Logica Ætiologica.

Definitur autem hæc, ſcientia, & ars directiua

operationum mentis per regulas bene differendi ad veritatis illustrationem. Estque vel

Docens actualis, seu cognitio, & explicatio præceptorum bene differendi: vel habitualis, s. facilitas eadem præcepta promptè, iucundè, ordinatéque explicandi.

Vtens actualis, est idonea applicatio præceptorum bene differendi.

Habitualis est permanens facilitas eadem præcepta promptè, iucundè, ordinatéque applicandi.

Differere s. sermocinari, est apprehendere, proponere, discurrere, & ea inter se aptè ad sciendum ordinare.

Sermo, est manifestatio cogitationis, *v.* rei cogitatæ.

Loqui, est proferre voce quod mente conceperis. In locutione est VERBVM mentis, s. conceptus. *Cordis*, s. intentio manifestandæ cogitationis. *Oris*, s. signum externum. Hinc sermo est.

1. *Interior*, s. conceptio rei nullo exteriori signo declarata.

2. *Exterior*, est conceptio rei exteriori signo circumvestita, præsertìm voce, gestu, picturâ.

Quadruplex est Logicæ pars, *n.*

Apprehensiua	quæ dirigit	apprehensionem.
Enunciatiua,		enunciationem.
Argumentatiua		argumentationem.
Methodica		methodum ordinatè sciendi.

Quamobrem quatuor erunt Logicæ tractatus.

1.	erit de	apprehensione.
2.		iudicio
3.		discursu
4.		methodo.

TRACTATVS PRIMVS
DE PRIMA MENTIS OPERATIONE.

PRIMA mentis operatio, ſ. apprehenſio, eſt ſimplex mentis intuitus, & veluti primus cognitionis gradus.

Definitur, notitia mentis expers affirmationis, & negationis; vt nuda ſolis conceptio.

Dicitur terminus, quia poteſt eſſe propoſitionis extremum: eſtque

1. INTERIOR ſ. mentalis. *v.*
2. EXTERIOR, præſertìm vocalis, qui quia omnium notiſſimus eſt, & ex eius explicatione mentalis facilè percipitur, hic à nobis explicatur, *eſtq;*

SIMPLEX ſ. vna dictio, vt homo.

COMPLEXVS ſ. multæ voces inter ſe debitè ordinatæ, & dicitur *oratio*, vt animal rationale.

In termino ſimplici eſt *vox*; *cogitatio*, *res cogitata* Terminus quippe vocalis ſignificat res, & noſtros conceptus; vt hæc vox *equus* ſignificat naturam equinam, & conceptum equi in mente cogitantis.

Hinc diuiditur tripliciter, n. ratione vocis, cogitationis, & rei cogitatæ.

Terminus ratione vocis eſt *v.*

Primæ Impoſitionis, ſ. nomen rei veræ, vt *homo*: vel fictæ; vt *chimæra*.

Secundæ Impoſitionis, eſt nomen nominis, & orationis; vt termini ſermocinalium artium, p. Grammaticæ, *declinatio*, *caſus*. Poeticæ *dactylus ſpondeus*. Rhetoricæ, *tropus*, *exordium*. Logicæ, *genus*, *ſubiectum*, *medium*.

TERMINVS ratione cogitationis est.
Abstractus, *Concretus*.
Cathegorematicus, Syncathegorematicus, mixtus.
Communis, *non Communis*.

DE TERMINO, ABSTRACTO, *ET CONCRETO.*

ABSTRACTVS, est qui significat formam abstractam, & seorsim à quouis subiecto; vt albedo, & est.

1. *Physicus*, qui significat formam à subjecto separabilem; vt nigredo.

2. *Metaphysicus*, qui significat formam à subiecto inseparabilem, vt humanitas.

CONCRETVS, est is qui significat formam concretam subiecto; vt *album*, quod significat albedinem coniunctam subiecto, p. parieti. *Isque v.*

Significat formam inseparabilem; vt *homo*, humanitatem, *v.* separabilem; vt *animatum*, animam; *album*, albedinem. *Iterum*

Est essentialis Metaphysicus; vt *homo*, *v.* Physicus; vt *viuens*. *v.* accidentarius necessarius, vt *risiuum*, vel contingens, vt *album*.

CONCRETVM si forma sit intrinseca, exponitur per *habens*; vt album dicitur quod habet albediné. si forma sit extrinseca exponitur per *terminans*; sic visum *dicitur* id quod terminat visionem.

DE TERMINO CATEGOREMATICO, *SYNCATEGOREMATICO, ET MIXTO.*

CATHEGOREMATICVS, s. significatiuus, est qui ex se aliquid determinatum significat, vt homo, bos, &c.

Sic dicitur, quia poteſt eſſe cathegorema, ſ. propoſitionis attributum.

SYNCATHEGOREMATICVS, eſt qui nihil ſignificat, niſi cum alio iungatur; vt *omnis*, *nullus* &c.

MIXTVS eſt qui ex categoremate, & Syncathegoremate conſtat; vt *nemo*, quaſi nullus homo.

Terminus non communis, eſt qui de pluribus dici non poteſt: eſtque vel

Particularis, qui de vnicâ re tantùm dici poteſt, ſed indeterminatè; vt aliquis homo.

Singularis, qui rem vnicam tantùm & certam ſignificat: vel

Per anthonomaſiam, ſ. excellentiam; vt Philoſophus, Ariſtotelem, *v.* ex

Demonſtratione; vt hic Philoſophus.

Ex circumlocutione, ſ. periphraſi; vt licæi princeps.

Ex hominum impoſitione, vt Ariſtoteles.

Terminus communis eſt, qui de pluribus dici poteſt, vel

Indiuiſim, qui *dicitur* de re indiuisâ; vt Deus de patre, & Verbo diuino: nam in iis nec diuerſa eſt, nec diuiſa diuinitas.

Vnde, dicitur in ſingulari de quolibet non in plurali de pluribus, *dicitur* enim pater eſt Deus, Verbum eſt Deus, non item pater, & Verbum ſunt Dii, ſed Deus.

Terminus diuiſim eſt qui *dicitur* de multis diuiſis; vt homo de Petro, & Paulo.

Quamobrem prædicatur in ſingulari de quolibet & in plurali de pluribus; vt homo; *dicitur n.* Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, Petrus, & Paulus ſunt homines.

Terminus

Terminus communis diuisim est *v.*

1. *Vniuocus* qui conuenit multis in eâdem planè significatione; vt *homo* respectu Petri, & Pauli.

2. *Æquiuocus*, qui conuenit multis in diuersâ planè significatione, vt canis respectu syderis, & animalis.

3. *Analogus*, qui conuenit multis partim in eâdem, partim in diuersâ significatione; vt *sanum* respectu, pharmaci & animalis.

4. *Paronymus*, s. denominatiuus, de quo infra.

VNIVOCA sunt

1. *Vniuocantia* s. nomina communia multis in eâdem planè significatione; vt *homo* Petro, & Paulo.

2. *Vniuocata*, sunt res quibus nomen est commune, & definitio nomini respondens planè eadem; vt equus, & bos respectu animalis.

Vniuoca sunt, *v.*

Essentialia quæ habent idem nomen, & rationem nomine communi significatam essentialiter eandem; vt bos & leo respectu animalis.

Accidentaria sunt ea quæ habent idem nomen, & rationem nomine communi significatam accidentariò eandem; vt nix, & lac respectu albi.

Analoga dicuntur quæ habent inter se analogiam, s. proportionem.

Proportio est duplicata ratio.

Ratio hìc propriè est duarum quantitatum eiusdem generis secundùm quantitatem habitudo, p. ternarij ad senarium; vt dupli ad dimidium.

In ratione sunt tantùm duo termini.

In proportione verò quatuor, p. se habet ternarius ad senarium; vt quaternarius ad octonarium.

Analogia etiam metaphoricè *dicitur* de quibusvis

entibus : hinc *dicitur* penna se habet ad aues, vt pinna ad pisces.

Analoga sunt v.

Analogantia s. voces multis communes partim in eâdem partim in diuersâ significatione; vt *sanum* respectu pharmaci, vrinæ, & animalis.

Analogata, sunt ea quorum nomen est commune, & ratio ad commune nomen accomodata partim eadem partim diuersa.

Alia sunt vel

Attributionis, quorum nomen est commune, & ratio nomini respondens secundùm terminum eadem, secundùm habitudinem ad terminum diuersa; vt vrina, pharmacum, & animal respectu sani.

Analoga proportionis sunt ea quorum nomen est commune ob similitudinem ad varios terminos, vt *pes* respectu infimæ partis hominis, & montis, p. sustinere.

In analogis attributionis est idem terminus, & variæ ad ipsum habitudines; sic respectu sani est idem terminus, p. *sanitas*, & variæ ad ipsam habitudines, videlicet in animali habitudo subiecti; in vrinâ ratio signi; in pharmaco, ordo causæ sanitatis.

Dicuntur ab vno quod sint ab vno; vt fabrilia ab arte fabrili, vel ad vnum quod ad vnum tendant; vt fabrilia ad fabrum.

In analogis proportionis sunt varij termini, eadem habitudo; vt *sustinere* respectu pedis ad infimam partem hominis, montis, & cathedræ : etenim infima pars hominis, hominem, montis, montem, cathedræ, cathedram sustinet.

Analogum simpliciter prolatum supponit pro præcipuo analogato.

Præcipuum analogatum in analogis attributionis est illud ad quod cætera tendunt; vt *animal* respectu sani.

In analogis proportionis, est illud à quo cætera nomen sortiuntur; vt *pes* animalis respectu cuiusvis infimæ partis.

Forma in analogis attributionis est intrinseca soli præcipuo analogato, cæteris vero extrinseca; vt *sanitas* soli animali.

In analogis proportionis forma est omnibus intrinseca; vt *dirigere* respectu, visus, intellectus, prudentiæ.

ÆQVIVOCA sunt

Æquiuocantia s. voces communes multis in diuersâ planè significatione, vt *Taurus* respectu signi cœlestis, montis, & animalis.

Æquiuocata, sunt res ambiguo nomine significatæ; vt signum cœleste, mons, & animal respectu *Tauri*.

Alia sunt à casu; vt *Ius* respectu iusculi, & debiti.

Alia à consilio siue ex grauiori causâ, & sunt analoga.

Alia ex leuiori causâ; vt Cæsar respectu imperatorum.

Denominatiua sunt ea quæ ab aliquo denominationem sic habent, vt casu, s. terminatione differant, p. fortis, & fortitudo: nam aliter definit fortis, aliter fortitudo.

In denominatiuis, s. adiectiuis est subiectum, v. g. paries, & forma denominans, *n.* albedo, & denominatiuum, videl. album.

Omne denominatiuum est concretum, non omne concretum est denominatiuum; nam denominati-

num significat formam adiacentem realiter à subiecto separabilem; at non omne concretum talem formam connotat: *homo* enim significat humanitatem realiter inseparabilem.

Grammaticis; quia solùm voces spectant.

Forma denominans deducitur à denominatiuo; vt *fortitudo* à forti: nam secundùm ipsos nomen compositum deriuatur à simplici: at denominans p. fortis est quid simplicius quàm forma denominans; nempe fortitudo.

Philosophis, quia solas res spectant.

Denominatiuum fit à forma denominante; vt *fortis* à fortitudine, fortitudo *n.* fortem, non fortis fortitudinem facit.

Terminus communis vniuocus diuisim dicitur vniuersale, quasi vnum versùs alia. Estque

Complexum s. oratio vniuersalis, vt omnis homo est animal, *v.*

Simplex s. vniuersale vnâ voce significatum, & est quintuplex, nempe

1. In causando, s. causa vniuersalis, quæ vna multos effectus potest producere; vt Sol, vuas, vites, glandes, & similia.

2. In significando, s. signum vniuersale, quod cum sit vnum multa significare potest; vt vox *homo*, Petrum, Paulum &c.

3. In repræsentando, s. *imago vniuersalis*, quæ cum vna sit multa exhibere potest; vt *imago hominis in mente*, *omnes homines*.

4. In essendo, est *essentia vniuersalis*, quæ vna multis inesse potest; vt *humanitas*, *Petro*, & *Paulo*.

Vocatur vniuersale Metaphysicum; *Metaphysica quippe considerat rerum essentias.*

3. In prædicando, est *attributum commune multis*, s. quod vnum potest de multis prædicari ; vt *homo* de Petro, & Paulo.

Dicitur vniuersale Logicum, quia Logica spectat res vt prædicabiles ; vnde Logicis, prædicabile, *idem est ac* vniuersale, quod

DEFINITVR vnum aptum prædicari de multis vniuocè, & diuisim, & est quintuplex, *n. genus, species, differentia, proprium, & accidens commune. Ad eorum, & omnium quæ posteà dicturi sumus notitiam necesse est nosse subiectam tabulam.*

CATEGORIA SVBSTANTIÆ

GENVS SVPREMVM.

SVBSTANTIA

Differentiæ

CORPOREA — INCORPOREA

Genus subalternum s. species intermedia.

CORPVS

ANIMATVM — INANIMATVM

Genus remotum hominis

VIVENS

Differentia generica

SENSITIVVM — INSENSITIVVM

Genus proximum

ANIMAL

Specifica

RATIONALE — IRRATIONALE

Species infima

HOMO

Numerica

HÆCCEITAS

Indiuiduum & suppositum

PETRVS.

linea indirecta — linea recta — linea indirecta s. collateralis

DE VNIVERSALIBVS SIGILLATIM.

GENVS Grammaticè *dicitur, v.*

1. Qui primus genuit; *hinc homines dicuntur genus suum duxisse ab Adamo; vnde etiam dicitur* Genealogia. *v. locus in quo quis natus est. Vnde Aristoteles dicitur genere Stagyrita.*

2. *Multitudo eorum quæ ducit originem ab vno principio, quo sensu homines vocantur genus humanum.*

Logicè' est prædicabile de multis specie differentibus in quid incompletè, vniuocè & diuisim.

S*petie* differunt species eiusdem generis diuisiuæ, & earum indiuidua, quia habent essentias diuersas completas; vt homo, & equus, Petrus, & Bucephalus.

Prædicari in quid, est dici essentialiter substantiuè. *seu*

In recto ad modum per se stantis

Genvs est bifariam duplex, *n.*

1. *Supremum* s. primum, & generalissimum, quod ita genus est; vt non possit esse species, p. substantia.

2. *Subalternum*, s. interjectum, est illud quod respectu inferioris est genus, respectu superioris est

species, siue quod ita genus est; vt possit esse species. vt animal, ita est genus hominis; vt sit species viuentis.

Superius est vniuersalius lineæ rectæ.

Inferius, est particulare directè subiectum superiori.

3. *Proximum*, est vniuersale, quod nullo mediante de speciebus prædicatur; vt viuens, de animali.

4. *Remotum*, est vniuersale quod alio mediante de specie prædicari potest; vt viuens de homine mediante animali.

DE SPECIE.

SPECIES Grammaticè, *est aliquando pulchritudo. Vnde illud*

Species digna imperio.

& pulcher *dicitur* speciosus *s.* formosus; *aliquando, est* rei apparentia. *Vnde illud*

Fallit enim vitium specie virtutis, & vmbrâ,

Physicè, est imago cuius ope obiectum percipitur; sic imago cuius beneficio apprehenditur color, vocatur eius species intentionalis.

Tullius de rei formâ *s.* essentiâ: Plato de Ideâ agit, non de specie, de quâ tractat Philosophus.

SPECIES Logicis, est vniuersale directè subiectum generi; vt viuens animali. Estque v.

1. *Subiicibilis*, quæ generi subiicitur; vt homo, animali.

2. *Prædicabilis*, quæ de solo numero differentibus potest prædicari; vt *homo*, de Petro, & Paulo,

3. *Subalterna*, intermedia, *s.* interiecta est ea quæ

respectu superioris *dicitur* species, respectu inferioris *genus*.

Seu quæ ita species est vt possit esse genus; vt *animal* est species viuentis, genus hominis.

Genus subalternum, & species intermedia differunt *respectu*, non *gradu*; sic animal est species subalterna respectu viuentis, & genus intermedium respectu hominis.

4. *Infima*, atoma, s. specialissima, quæ est indiuisibilis in alias species, est eadem realiter cum specie prædicabili.

Definitur prædicabile de multis solo numero differentibus in quid completè vniuocè, & diuisim; vt *homo* de Petro, & Paulo.

Solo numero differre dicuntur indiuidua eiusdem speciei. Suntque ea quæ conueniunt inter se definitione, & essentiâ; vt Petrus, & Paulus.

INDIVIDVVM *dicitur* quod non potest diuidi in plura eiusdem secum rationis, s. quod est vnum in vno, & de vno tantùm prædicabile, vt Aristoteles.

DE DIFFERENTIA.

DIFFERENTIA, est id per quod aliquid differt: estque triplex, *v*.

1. *Communis*, s. accidens separabile quo vnum differt ab alio, *v*. à se ipso; vt *vigilia* quâ Petrus differt à seipso, *v*. ab alio dormiente.

2. *Propria*, est accidens inseparabile quo vnum differt ab alio; vt nigredo, quâ coruus differt à cygno.

3. *Maximè* propria, s. essentialis est ea quâ vnum differt essentialiter ab alio.

Definitur prædicabile de multis specie differentibus in quale quid; vt *bipes* de homine, & passere.

Prædicari in quale quid, est dici essentialiter adjectiuè; vt rationale de homine.

Res attribuuntur vt concipiuntur: concipimus autem in indiuiduis genus veluti fulcrum omnium quæ in eis sunt; vt marmor respectu statuæ.

Hinc genus dicitur à nobis prædicari essentialiter substantiuè; s. in recto ad modum per se stantis.

Concipimus vero speciem veluti totam indiuiduorum essentiam per se stantem; vt statua quod est aliquod per se subsistens; hinc species prædicatur etiam de indiuiduis essentialiter substantiuè.

Apprehendimus *etiam differentiam veluti adjacere generi, ipsumque ad certam speciem determinare, vt figura adjacet marmori, ipsumque determinat ad certam statuam. Hinc differentia dicitur prædicari in quale quid, idest essentialiter adiectiuè.*

Differentia est multiplex,

1. *Simplex*, quæ vna voce exprimitur, vt *animatum*.

2. *Complexa*, est quæ pluribus effertur vocabulis vt *impar primus* respectu ternarij.

3. *Reciproca*, quæ cum specie reciprocatur; vt sensitiuum cum animali.

4. *Non reciproca*, quæ latiùs patet specie; vt *bipes* respectu hominis.

5. *Generica*, quæ constituit genus; vt *corporeum*, corpus.

6. *Specifica*, quæ constituit speciem infimam; vt *rationale*, hominem.

Eadem differentia est diuisiua generis, constitutiua speciei in se, & distinctiua illius à cæteris; sic *sensi-*

tinum diuidit *viuens*, constituit *animal*, ipsumque distinguit ab eo omni quod non est animal.

Differentia numerica s. indiuidualis, est ea quæ constituit indiuiduum; vt petreitas Petrum. Diciturque singularitas; at magis propriè indiuiduatio.

DE PROPRIO, ET ACCIDENTE COMMVNI.

PROPRIETAS à *Metaphysica*, *proprium* à *Logicâ consideratur*.

Proprium dicitur quid non commune; vt *homini ridere*, *v.* quod non est alienum; vt *frigus* aquæ, *v.* quod nec est commune, nec alienum, & est Essentiale; vt *rationale*, *v.* accidentarium, & est quadruplex: *n.*

1. Modo quod conuenit soli; non omni; vt homini esse *Geometram*.

2. Modo, quod conuenit omni; non soli, vt *quadrupes*, equo.

3. Modo, quod conuenit omni soli, non semper, vt quercui, *ferre glandes*.

4. Modo, quod est maximè proprium, quia conuenit omni, soli, & semper.

Definitur prædicabile de multis specie differentibus in quale reciprocè, vniuocè, & diuisim. Estq;

1. *Genericum*, quod conuenit soli generi, omni, & semper; vt tactu præditum animali.

2. *Specificum*, quod conuenit omni speciei, infimæ soli, & semper; vt admiratiuum homini.

Qvælibet *creaturæ perfectio sumitur*; *v.*

1. *Actualiter*, p. *ridere*, tumque est actio ridendi: & sic est *accidens commune.*

2. *Aptitudinaliter* prout est *potentia ridendi*, vnde homo dicitur *risiuus*: & est proprium quarto modo.

3. *Radicaliter*, s. vt est *radix ridendi*, & sic est *rationalitas*, tuncque est de essentiâ.

Prædicari reciprocè est de se inuicem vniuersaliter affirmari; vt *homo*, & *admiratiuum*: nam rectè *dicitur* omnis *homo* est *admiratiuus*, & omne *admiratiuum* est *homo*.

ACCIDENS commune, est id quod potest adesse & abesse sine subiecti interitu: & est

1. *Separabile*, quod facilè separari potest; vt sedere à sedente.

2. *Inseparabile*, quod vix separari potest, vt cicatrix à capite vulnerato.

3. *Genericum*, quod conuenit pluribus specie differentibus; vt album niui, & gypso.

4. *Specificum*, quod conuenit soli speciei infimæ, vt admiratio, homini.

Definitur prædicabile de multis specie differentibus in quale non reciprocé vniuocè, & diuisim.

DE TERMINO SIMPLICI RATIONE *REI SIGNIFICATÆ.*

TERMINVS simplex ratione rei significatæ est.

2. *Finitus* cuius significatio est præfiniti ambitus, s. qui aliquid certum significat; vt lapis.

1. *Infinitus* qui negat aliquid determinatum, & de quolibet potest affirmari, excepto solum eo de

| alio

quo negatur; vt *non homo* qui dici poteſt de omnibus, dempto homine, poteſt enim dici lepus, lupus eſt *non homo* at *non homo* non poteſt dici homo.

1. *Poſitiuus*, eſt qui ſignificat aliquam perfectioctionem; vt *videns*, viſionem.

2. *Negatiuus*, qui ſignificat quamlibet abſentiam perſectionis, vt non videns.

3. *Priuatiuus*, qui ſignificat abſentiam perfectionis in ſubjecto idoneo; idque tripliciter.

Nomine, non ſignificatione; vt *infinitas*.

Significatione, non nomine; vt *cæcitas*.

Significatione ſimul, & nomine; vt *infirmitas*.

Terminus poſitiuus, eſt vel *tranſcendens* qui eſt generalior categoriis; vt ens, vnum &c.

Categoricus, eſt is qui coercetur aliquâ Categoriâ vt homo.

DE CATEGORIA.

CATEGORIA Græcè dicitur, Latinè prædicamentum.

Definitur ordo naturalis attributorum, & ſubiectorum ſub vno ſupremo genere.

Quidquid eſt in Categoriâ, reponitur, *v.*

Implicitè, & reductitiè, cuius nulla fit expreſſa mentio in Categoriâ, & propter aliud reponitur; & ſunt.

Partes Phyſicæ eſſentiales; vt corpus & anima, *v.*

Integrantes vt pes, manus, & alia quæuis principia, exceptis genere, & differentiâ.

Proprietates; vt riſiuum.

Modi; vt velocitas, tarditas.

Priuationes vt mors, otium.

PONITVR explicitè id de quo manifesta habetur mentio in Categoriâ, & collocatur, v.

Directè, f. in lineâ rectâ, *n.* genera, species, & indiuidua tanquam eorum bases.

Indirectè, quæ collocantur in lineâ indirectâ, & sunt differentiæ.

Vt aliquid ponatur directè in Categoriâ, sex exigit conditiones, p. vt sit.

1. *Ens reale*, quia Categoria est series rerum, non figmentorum.

2. *Per se*, nam ens per accidens pertinet ad varias Categorias; & non tam est ens, quam entia.

3. *Simplex*, ens enim complexum; vt equus hinnit denotat plura entia ad varias Categorias spectantia.

4. *Completum*, ens enim incompletum non est ens, sed pars entis. Digitus non est homo, sed pars hominis.

5. *Vniuocum* essentiale. Hinc *album* non ponitur in Categoriâ substantiæ, quia de ea prædicatur accidentariò tantùm contingenter.

6. *Finitum* per essentiam; nam infinitum essentialiter nec est potentia, nec actus, nec ex potentiâ, & actu constans quale debet esse ens Categoricum.

Categoria, est decuplex, p. Substantia, Quantitas qualitas, relatio, actio, passio, vbi, quando, situs, habere.

DE SVBSTANTIA, ET QVANTITATE.

SVBSTANTIA, dicitur à substando, *v.* subsistendo.

Substantia, dicitur ens non inhærens, f. ens per

se subsistens, & est duplex *n.* prima, & secunda.

Prima, Dicitur quæ non est in subiecto, nec de subiecto prædicatur.

Dicitur maximè substantia, quia omnibus gradibus substantiæ Categoricæ substat, & ipsi insunt quælibet perfectiones essentiales, *v.* accidentariæ; ipsa verò in alio esse non potest; hinc maximè subsistit; vt Petrus.

Secunda, Est quæ dicitur de subiecto, nec est in subiecto, vt homo.

Itaque hìc, dici de subiecto, est posse attribui inferioribus.

Esse in subiecto, est inhærere.

Quantitas est positio partium extra partes, de quâ in Physicis tractat. tertio.

DE RELATIONE.

RELATIO, est ordo subiecti ad terminum, vt paternitas, habitudo patris ad filium.

Philosopho, est accidens cuius totum esse est ad aliud quodammodo se habere; sic totum esse patris vt pater est patrem ad filium referre.

Triplex est relationis principium. *n.*

1. *Subiectum* s. id cui inest relatio, p. homo genitus, cui inest filiatio.

2. *Terminus* s. id ad quod relatio suum subiectum refert, p. homo genitus, *v* filius ad quem paternitas refert patrem.

3. *Fundamentum* proximum, est proxima ratio cur relatio insit subiecto.

Remotum, est mensura, & mensurabilitas quæ sun

dant relationes perfectiui ad perfectibile, & viciſſim, p. *materia* ad formam, & *forma* ad materiam: potentiæ, & habitus ad obiecta, viſus ad viſibile, ſcientiæ ad ſcibile.

Mediorum ad finem. p. remediorum ad ſanitatatem.

Primi ad ea quæ ſunt à primo, p. Creatoris ad creaturas.

F*undamentum* relationis Categoricæ, eſt proximum, *v.* remotum.

Proximum, eſt vnitas quæ fundat, *v.*

Identitatem, eadem enim dicuntur quorum eſſentia eſt vna, *v.*

Æqualitatem, æqualia enim dicuntur, quorum quantitas eſt vna, *v.*

Similitudinem, ſimilia enim dicuntur quorum qualitas eſt vna.

NVMERVS fundat *diuerſitatem*; diuerſa, *enim* dicuntur quorum eſſentia non eſt vna.

Inæqualitatem, inæqualita *enim* dicuntur quorum quantitas non eſt vna, *v.* *diſſimilitudinem*: diſſimilia *quippe* dicuntur, quorum qualitas non eſt vna.

ACTIO, & paſſio fundant relationes *agentis ad patiens*, ſolis ad aërem. *Cauſa ad effectum*, & viciſſim patris ad filium; & filij ad patrem; *imperantis* & *obſequentis*, p. Domini ad ſeruum. *Dantis*, *& recipientis*, p. diuitis ad pauperem &c.

FVNDAMENTVM remotum eſt quadruplex *n.*

1. *Eſſentia* quæ fundat identitatem, & diuerſitatem.
2. *Quantitas*, æqualitatem, & inæqualitatem.
3. *Qualitas*, ſimilitudinem, & diſſimilitudinem.
4. *Potentia*, quæ eaſdem relationes fundat, vt actio & paſſio.

Subiectum similitudinis Cygni ad Cygnum; *est Cygnus.*

Terminus, est albedo, v. similitudo alterius Cygni,

Fundamentum proximum, est vnitas, f. conformitas qualitatis, p. albedinis.

Fundamentum remotum, est qualitas, n. albedo.

RELATIO, est vel rationis quæ pendet ab operatione mentis; vt *paternitas putatiua, consulatus &c. v.*

Realis quæ est independenter à mente, estque *diuina*, quæ est in Deo, p. *paternitas, filiatio, Spiratio.*

Creata quæ est in creaturâ, & est *v.*

1. *Transcendens*, f. secundùm dici, quæ est essentialis subiecto, vt relatio potentiæ ad obiectum, p. intellectus ad intelligibile, estq; *non mutua.*

2. *Categorica, accidentalis*, f. secundùm *esse*, quæ significat merum respectum; vt *filiatio*, meram habitudinem filij ad patrem. Estq; *v.*

Æqualis comparationis, f. eiusdem nominis, & rationis cum oppositâ relatione; vt identitas, diuersitas &c. *v.*

Inæqualis comparationis, quæ est diuersi nominis, & rationis in vtroque extremo; hæcq; est, v. excellentiæ f. superpositionis, *v.* imminutæ dignitatis: & est

A naturâ, vt paternitas, filiatio.

Ab arte; vt magister, & discipulus.

A casu; vt dominium, seruitus.

Ab electione; vt relatio præsidis ad Senatores.

RELATA *sunt simul naturâ, quia se mutuò ponunt, & tollunt; vt dimidium, & duplum, quia habent totum suum esse per ordinem ad inuicem. Hinc sunt simul definitione, & cognitione.*

DE

DE QVALITATE.

QVALITAS, eſt accidens à quo denominamur quales ſimpliciter.

Dicitur diſpoſitio ſubſtantiæ.

Diſpoſitio hìc, eſt ordo partium in habente partes.

Deſcribitur, accidens merè abſolutum ſequax formæ,

Quadruplex eſt bimembris eius ſpecies, *n.*

Habitus, *diſpoſitio.*

Potentia, *impotentia.*

Patibilis qualitas, paſſio.

Forma, *figura.*

DE HABITV, ET POTENTIA.

HABITVS, eſt qualitas qua res benè *v.* malè ſe habet in ſe; vt *ſanitas*, *morbus*, *pulchritudo*, *difformitas. v.* in ordine ad aliud; vt *ſcientia*, & *virtus*, per quas intellectus, & voluntas benè ſe habent ad ſua obiecta: *error*, & *vitium* quibus malè ſe habent.

HABITVS, eſt naturalis qui habetur à naturâ; vt ſanitas, pulchritudo.

Infuſus, qui habetur infuſione. Eſtque

Infuſus per ſe, qui non poteſt aliter acquiri quàm infuſione; vt *donum charitatis Chriſtianæ*, *v.*

Infuſus per accidens, qui poteſt aliter haberi quàm infuſione; vt *donum linguarum Apoſtolis conceſſum*,

Acquiſitus, qui exercitio comparatur; vt Cythariſtica.

Habitus iterum, eſt *actiuus* qui eſt ad agendum; vt virtus; vel *non actiuus*; vt pulchritudo.

Habitus eſt determinatus ad bene tantùm, vt ſanitas, virtus: *v.* ad malè tantùm; vt morbus, vitium.

Potentia verò eſt ad vtrumlibet, intellectus enim eſt ad verum, *v.* falſum, voluntas ad virtutem, & vitium.

Habitus difficulter eſt mobilis à ſubiecto; vt fortitudo à milite veterano.

Diſpoſitio eſt facilè mobilis; vt fortitudo à Tyrone militiæ.

Potentia v. impotentia dant agere, *v.* reſiſtere ſimpliciter, vt intellectus intelligere. Habitus verò naturalis dat tantùm agere ſecundum quid; vt ſcientia; dat enim ſolùm faciliùs, certiùs, euidentiùs intelligere.

POTENTIA, eſt vis quâ res facilè operatur, aut reſiſtit, Difficulter patitur; vt *durities*, quâ corpus tangenti facilè reſiſtit, difficulter cedit; ſic aquila viſus acie facilè ſuſtinet ſplendorem lucis ſolaris, & ab eo difficulter patitur.

IMPOTENTIA hìc eſt debilitas, non autem negatio potentiæ; vt *viſus noctua*.

Definitur, qualitas quâ res difficulter agit, aut reſiſtit; facilè cedit, aut patitur; vt *mollities*, quâ corpus tangenti, aut ſecanti facilè cedit.

DE PASSIONE, ET FORMA.

PASSIO, & patibilis qualitas, eſt qualitas ſenſu præſertim externo perceptibilis; vt *color, fragor, ſapor, odor, calor*.

Passio, oritur ex alteratione firmâ; vt rubor ex inflammatione pulmonis, *patibilis* verò *qualitas*, ex alteratione fluxâ; vt *rubor* ex *verecundiâ*.

FORMA, *v.* figura, est qualitas exteriùs determinans quantitatem; vt exterior dispositio partium animalis; *v.* statuæ.

In rebus Geometricis propriè, *dicitur* figura. Estq;

Plana	vt	*circulus.*
Solida		*cubus.*

Habens angulos	vt	*triangulus, cubus.*
Carens angulis		*circulus, globus.*

Qualitas propriè suscipit intensionem, & remissionem, contrarietatem.

DE ACTIONE, ET PASSIONE.

ACTIO, est accidens à quo aliquid denominatur agens.

Dicitur actus agentis, vt agens est; vt *calefactio* quâ ignis est calefaciens.

P*assio*, est accidens à quo res denominatur patiens, s.

Actus patientis, vt patiens est; vt *calefactio manus*.

In actione, & passione est principium effectiuum motus, s. motor.

Termini à quo, & ad quem.

Mobile s. subiectum motus.

Actio ratione eorum multiplex eſt, p.
Ratione principij, eſt vitalis, non vitalis.
Violenta, naturalis.
Neceſſaria, *libera*.
Artificialis, *fortuita*.
Ratione ſubjecti, eſt *immanens* cuius terminus manet in principio à quo manat; vt intellectio.
Tranſiens, cuius terminus recipitur extra agens, vt calefactio.
Eſt corporea; *v.* ſpiritalis.
Perfectiua, nociua.
Ratione termini, eſt ſubſtantialis, accidentaria. *v.* *Conſummabilis*, quæ totum totaliter effectum producit; vt viſio. *v.*
Inconſummabilis, quæ totum terminum totaliter nequit producere; vt continui diuiſio, & numeri accretio.
Ratione modi, eſt inſtantanea, quæ producit ſuum effectum in inſtanti; *vt illuminatio*.
v. Succeſſiua, quæ eſt *lenta*; vt motus teſtudinis, *v.* *Velox*, vt vibratio ſagittæ.

DE VBI, ET QVANDO.

VBI, eſt accidens per quod res eſt formaliter in loco, ſ.
Præſentia rei in loco, p. in foro &c. Eſtque
Fluens, ſ. rei quæ mouetur, p. auis volantis. *v.*
Permanens, ſ. rei quieſcentis, p. ſcopuli.
Vtrumque eſt circumſcriptiuum, *v.* definitiuum.
Vbi circumſcriptiuum, eſt id quo res eſt tota in toto loco, ita vt variæ ipſius partes variis ipſius loci partibus reſpondeant; vt circumſcriptio Petri à loco.

Vbi definitiuum, eſt quo res eſt tota in toto ſpatio, & tota in ſingulis ſpatij partibus: vt vbi Angelicum.

Sacramentale, eſt id per quod corpus eſt totum in toto ſpatio, & totum in ſingulis ſpatij partibus ita vt poſſit eſſe alibi; vt corpus Chriſti Domini ſub Euchariſticis ſpeciebus.

DEVS *non habet vbi determinatum cum ſit vbique*; *igitur vbi repletiuum*, vbi fictitium.

QVANDO, eſt accidens per quod res eſt formaliter in tempore. ſ.

Continentia rei à tempore durationem eius menſurante; vt fuiſſe *Heri*, eſſe *Hodie*, fore *Cras*.

Quando eſt iuuenile, virile, ſenile.

Quando non eſt duratio creata; nam prima productio inſtantanea lucis habet quando, nec habet durationem, & Angeli duratio non eſt *quando*, quia Angelus non patitur à tempore.

Pati à tempore eſt conſummari, vel conſumi temporis ſpatio, nam tempus edit omnia corruptibilia in meliùs, & deteriùs.

DE SITV, ET HABITV.

SITVS, eſt diſpoſitio partium viuentis præſertim hominis in ordine ad ſe, & ad locum; ſic *ſtare* eſt habere caput ſurſum, pedes deorſum, & medias partes corporis erectas.

Dicitur metaphoricè de rebus inanimatis p. de plagis, regionibus, vrbibus.

SITVS eſt vel naturalis, qui congruit naturæ.

vt { Homini / Arbori } habere { caput sursum. / radices deorsum.

Violentus, qui repugnat naturali propensioni.

vt { Homini / Arbori } habere { pedes / radices } { sursum

Arbitrarius qui conuenit ad libitum; vt homini sedere.

HABITVS, est *adjacentia* indumenti, ornamenti *v.* armamenti, circa corpus, & corporis partes; estque, *v.*

Ad necessitatem, aut commodum; vt vestis, vel ad

Defensionem / *Ornatum* / *Dignitatem, & officiũ* } vt circompositio { galeæ. / annuli. / thiaræ.

Natura non fuit homini nouerca, licet eum necessarijs ad defẽsionem aduersus externa non instruxerit, dedit enim ipsi instar omnium MENTEM *quâ sibi necessaria prauideret, & prouideret; tum* MANVM quâ *ea sibi facilè prapararet.*

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

POSTPRÆDICAMENTA sunt termini prædicamentis generaliores, quorum mentio, non verò explicatio in ijs habetur; & sunt

Modi { Prioris, & posterioris / simul / habendi } { qui dicuntur de omnibus, categorijs, vt habere animam.

Species motus, vt { generatio, corruptio. / accretio, decretio. / alteratio. / latio.

Opposita sunt { complexa / incomplexa { relatiua. / contraria. / priuatiua. / contradictoria.

Relativa, sunt ea quæ id quod sunt oppositorum esse dicuntur, *v.* quocunque modo ad ipsa referuntur; vt sensus, & sensibile.

Contraria sunt ea quæ sub eodem genere posita maximè distant, & eidem subiecto vicissim insunt. & se mutuò pellunt ab eodem, nisi alterum insit à naturâ; vt calor, & frigus respectu manus, & sunt.

1. *Immediata*, quæ medio carent; vt veritas, & falsitas.

2. *Mediata*, quæ medium habent *v.* participatione extremorum; vt fuscum, tepidum; vel negatione extremorum; vt virtus, & vitium.

Privativa sunt ea quæ habent formam, & formæ priuationem; vt visiuum, & cæcum.

Oppositio priuatiua, est repugnantia habitus s. formæ, & eius priuationis, p. visus, & cæcitatis.

A priuatione ad habitum insitum non datur regressus, p. à morte ad vitam.

A contrario ad contrarium datur mutua transmutatio p. à calore ad frigus; à frigore ad calorem.

CONTRADICTORIA sunt ea quæ opponuntur; vt *ens & non ens simpliciter*; vt *loqui, & non loqui*: & sunt ea quæ sub eandem penitus affirmationem & negationem, s. contradictionem cadunt.

CONTRADICENTIVM necesse est vnum semper esse verum, alterum falsum: *de quolibet enim vera est negatio v. affirmatio; quia nullum est medium inter ens, & non ens* sic verum est quod Socrates sit Philosophus, *v.* non sit Philosophus quocunque modo spectetur.

DE MODIS PRIORIS, POSTERIORIS, *ET SIMVL.*

PRIVS aliquid dicitur

1. *Tempore* quod est antiquius; vt Alexander, Cæsare.

2. *Ordine*, s. dispositione; vt exordium, narratione.

3. *Dignitate*; vt qui præstat sapientiâ, virtute, *v.* authoritate.

4. *Existendi* consequentia; vt *animal*, homine; vnum, duobus; pars toto: non enim valet consequentia ab animali ad hominem &c.

5. *Causalitate*, naturâ, s. dependentiâ, vt causa actualis, p. sol, summo lumine, *v.* virtualis, p. *rationale*, risiuo, licet cum eo reciprocetur.

Tot modis dicitur posteriùs, quot modis dicitur priùs.

SIMVL, esse, dicuntur ea quorum neutrum altero

prius est *v.* posterius; idque præsertìm tripliciter nimirùm

1. *Tempore*, quorum generatio est eodem instanti

2. *Naturâ*, quorum vno posito statìm poni, & sublato statim alterum tolli concipitur; vt dimidium respectu dupli.

3. *Diuisione*, quæ sub superiori immediatè collocantur, & opponuntur; vt *species, & differentiæ eiusdem generis diuisiuæ*, p. rationale, irrationale, homo, & brutum respectu animalis.

DE TERMINIS SIMPLICIBVS *INTER SE COMPARATIS.*

TERMINI simplices inter se comparati sunt impertinentes, *v.* pertinentes.

IMPERTINENTES, s. *disparati*, qui neque *connexi* sunt, neque *repugnantes*; vt *statuarius*, & *musicus.*

PERTINENTES, sunt *connexi*, *v. repugnantes*

Connexi v. reciprocantur, vt *animal, & sensitiuum. v.* non reciprocantur, vt *animal*, & *homo*: & sunt *v.*

A*ntecedens*, quo posito sequitur alius; vt *animal* respectu *viuentis.*

Consequens, qui sequitur alio posito, vt *viuens* posito *animali.*

Repugnantes, s. *oppositi*, sunt qui sic inter se pugnant; vt simili modo cum alijs pugnare non possint.

& sunt propriè	*relatiui,* *contrarij.* *priuatiui* *contradictorij*	vt	pater, & filius. calor, & frigus. lux, tenebræ. homo, non homo.

DE ORATIONE.

ORATIO Logicis, est vox ex instituto significans cuius aliqua pars separatim significat vt dictio, non vt affirmatio, aut negatio, p. *Deus est bonus.*

Vox, est sonus ab animalis ore prolatus cum intentione aliquid significandi.

Oratio, est vox complexa ordine, & connexione non tantùm sono. Vnde hæ voces *solum*, *salum*, *cœlum*, non est oratio, sed sunt plures termini simplices.

Partes orationis apud Logicos sunt tantùm *nomen*, & *verbum*.

DE NOMINE, ET VERBO.

NOMEN, est vox finita, recta ex instituto significans sine tempore cuius nulla pars significat separatim, vt *sapor*, *remus*; nam per accidens est quod *re*, & *mus* aliquid seorsim significent, nec significant id quod significabant coniunctim.

Nomen extra *rectum* vocatur *casus*, & quid *obliquum*. Hinc oratio pura, & clara exigit nomen semper in recto quantùm fieri potest.

Nominis materia, est *vox*; vt dum dicitur, *Deus est nomen*.

Forma, eſt eius *ſignificatio*; vt in hâc propoſitione, *Deus eſt optimus*, ſumitur formaliter hoc nomen, Deus, *n*. pro eius ſignificatione, non ſolùm materialiter pro voce, vt in præcedenti oratione.

VERBVM, eſt vox ex inſtituto ſignificans cum tempore cuius nulla pars ſignificat ſeparatim, & eſt ſemper nota eorum quæ de aliquo dicuntur: vt, *dolet*, quod ſignificat dolorem alicui in tempore præſenti inexiſtentem.

Significare cum *tempore*, eſt ſignificare per varias inflectiones, diuerſas temporis differentias, p. præſentis, præteriti, & futuri.

Verbum extra præſens, non eſt verbum ſed inflexio, ſ. verbi defectio.

Vnde propoſitio de præterito aut futuro debet verificari per tempus præſens; non enim hæc propoſitio, *Cicero perorauit pro Milone, eſt vera*, niſi aliquando verum fuerit dicere, *hîc, & nunc Cicero perorat pro Milone*: nec iſta eſt vera, *Antichriſtus peccabit*, niſi verum ſit dicere aliquando, *hîc, & nunc Antichriſtus peccat*.

ORATIONIS DIVISIO.

ORATIO, eſt

1. *Perfecta* quæ perfectum ingenerat ſenſum animis auditorum; vt inuidus eſt ignauus.
2. *Imperfecta*, quæ perfectum ſenſum non ingenerat; vt *quos ego*?
3. *Enuntiatiua* quæ affirmat, aut negat; vt *Deus eſt omnipotens*.
4. *Non enuntiatiua*, quæ non affirmat aut negat, & eſt *interrogatiua*, *imperatiua*, *optatiua*, &c.

ORATIO est *iterum*, non Logica, quæ non conducit ad veritatis illustrationem; vt oratio *Grammatica*, *Rhetorica*; *Poëtica*.

2. *Logica*, quæ ducit ad veritatis illustrationem, & est *diuisio*, *definitio*, *argumentatio*, *methodus*.

Oratio Grammatica congruè; *Poëtica*, gratè; *Rhetorica*, ornatè; *Logica*, verè de rebus disserit.

DE DIVISIONE.

DEFINITIO posterior est diuisione; quia ipsa per eam inuenitur.

DIVISIO, est

1. *Physica s. realis*; vt *separatio animæ à corpore per mortem*.

2. *Artificialis*, vt Anatomica dissectio partium animalis.

3. *Mentalis s. Logica*, quæ fit solùm mente; vt diuisio *cæli v. terræ* in quinque Zonas.

DIVISIO Logica, est *vocis*, vel *rei*.

Diuisio vocis, est distinctio termini in suos significatus; estque

Diuisio termini

1. *Analogi*: vt dum *sanum* diuiditur in *subiectum*, *principium*, & *signum* sanitatis.

2. *Æquiuoci*; vt dum *canis* diuiditur in *caniculam*, *piscem*, *& animal domesticum*.

3. *Paronymi*, *s. concreti adiectiui* in *subiectum*, *& formam*; vt diuisio *albi* in *gypsum*, *& albedinem*.

DIVISIO rei, est distributio totius in suas partes. *Estque*

Diuisio totius per accidens, quod vel

1. Per aggregationem *naturalem*, *artificialem*, aut *arbitrariam*; vt diuisio vniuersi, horologij, exercitus.

2. Per coniunctionem; vt *diuisio entis* in decem Cathegorias quæ reperiuntur coniunctæ in eodem Petro.

3. Per separationem; vt

Diuisio subiecti in accidentia, p. marmoris in *album*, *nigrum*, *variegatum*.

2. *Accidentis* in subiecta, vt albedinis in *niueam*, *gypseam*, *lacteam*.

3. *Accidentis* in accidentia, vt Philosophorum in *Græcos*, *Arabes*, *Romanos*.

Divisio totius per se est, *v.*

Totivs essentialis, *Metaphysici* in partes essentiales Metaphysicas: *actum*, *potentiam*, *genus*, *differentiam*; vt diuisio *viuentis* in *corpus*, & *animatum*. *v.* *totius* *Physici* in partes essentiales Physicas, p. *materiam*, *& formam*, vt diuisio *hominis* in *corpus erectum*, *carneum*, & *animam rationalem*.

2. Divisio totius integrantis quæ & *partitio* dicitur, est distributio totius in partes integrantes, vt *diuisio* domus in *fundamenta*, *parietes*, *& tecta*.

3. Divisio totius potentialis, est distributio superioris in inferiora per suas differentias diuisiuas; vt diuisio generis in species: *v.* speciei in indiuidua, p. animalis per rationale, & irrationale in hominem, & brutum. Hominis, per petreitatem & pauleitatem in Petrum, & Paulum. *v.* *Causalis* in suos effectus, vt *artificis* in sua opera.

Totvm quod diuiditur vocatur *diuisum*.

Partes in quas diuiditur, dicuntur *membra diuidentia*.

DIVISIONIS AFFECTIONES.

DIVISIO, *sit in membra opposita, ſ. extra ſe poſita*; eſt enim diſtributio totius in partes: hæ verò ſunt extra ſe inuicem. Hinc *diuiſio* bruti in equum, & Bucephalum, eſt vitioſa, Bucephalus enim includitur in equo.

2. *Adæquata*, nam partes toti adæquantur, non enim latiùs patet totum omnibus ſuis partibus collectiuè ſumptis. Hinc diuiſio *Angeli* in *corporeum*, & *incorporeum*; *v. animalis*, in *mortale*, *&* *immortale* eſt *vitioſa*; quia vtraque eſt amplior; ſicut enim nullus Angelus eſt corporeus, ita nullum animal eſt immortale.

Pariter diuiſio orationis in affirmantem, & negantem nulla eſt, quia ſtrictior: nam *definitio*, eſt oratio neque tamen eſt affirmans, aut negans.

3. QVAMOBREM diuiſio debet eſſe *immediata*, ne ſit anguſtior; vt diuiſio *ſubſtantiæ* in *ſenſitiuam*, & *vegetatiuam*; nam Angelus neque ſenſitiuus eſt, neque vegetatiuus.

4. DIVISIO *ſit breuis*: diuiſio, *quippe* nimia, nulla, *diuiſio rei* in atomos, *confuſio*: ſic enim diuidere eſt rem concidere, non difficultatem decidere.

Vnde accuratiùs litera *diuiditur in* vocalem, *&* conſonantem, *quam in* A. B. C. *&c.*

Quamobrem, quantùm fieri poteſt, in diuiſionibus ſeruanda eſt Dicotomia, *id eſt* diuiſio bimembris.

Diuiſio viuentis in *ſenſitiuum*, *&* *vegetatiuum*, eſt legitima, quia eſt *adæquata, immediata, breuiſſima*, *&* *in membra oppoſita*.

Diuiſio tamen mediata in practicis, q. praxi com-

modior frequentiùs vsurpatur, nec est vitiosa quando est adæquata, & à peritis vsitata.

DE DEFINITIONE.

DEFINITIO, *est* aperta operti explicatio, s. inuoluti euolutio.

Quæ duplex est, vna nominis, altera rei.

DEFINITIO, *nominis*, est notatio s. expositio vocabuli; vt *mentiri*, *ire contra mentem*; *intelligere*, *intus legere*.

Hæc non est certa, quia vel nomina mutantur, vel casu rebus imponuntur: hinc *lapis* non rectè dicitur id quod *lædit pedem*, nec *pontifex*, is qui *pontem facit*, loquendum tamen vt multi, sed præsertim vt sapientes, & cum ipsis sentiendum, vnde temerarii sunt quidam Nouatores qui nominibus nouam significandi rationem tentant affingere, vt & sapientes redarguere; discant ij quod sicut chrystallo, fragilitas; & falsitati pretium dat nouitas, ita nouitatem, superbia, & superbiam ingenerat ignorantia.

DEFINITIO rei, est oratio exponens *quid*, *v. qualis* res sit; quare duplex est, *n.*

ESSENTIALIS, quæ simpliciter *definitio* dicitur, altera *accidentaria*, quæ vocatur *descriptio*: hæc oratoribus familiaris; illa Philosophis est propria, quia explicat id per quod res est immutabiliter id quod est; *descriptio* verò, id per quod res non est essentialiter, aut semper id quod est,

DE DEFINITIONE ESSENTIALI.

DEFINITIO essentialis est oratio explicatiua essentiæ definiti.

Ex operationibus, potentias, ex potentijs nouimus essentias.

Dicitur ὅρος οὐσίας quia intra eam tota essentiæ ratio continetur, *& est duplex, p.*

1. *Physica,* s. oratio explicans naturam rei per per partes essentiales physicas, p. per certam materiam, & formam substantialem; vt dum *homo* definitur *compositum ex corpore erecto*, & *animâ rationali.*

2. *Metaphysica* s. Logica est oratio explicans essentiam rei per *genus proximum, & differentiam maximè propriam*; vt dum *animal* definitur *viuens sensitiuum.*

Hæc distinguitur à specie, *modò*, non *re*; vt vola, s. manus euoluta, & expansa, à pugno s. manu inuoluta; quòd scilicet *species* sit *essentia* latēs, & inuoluta: *definitio* autem sit *essentia* patens, & euoluta.

Definitio constet genere proximo, & differentiâ maximè propriâ; sic malè *visus* definitur potentia luminis, & coloris perceptiua *homo* animal bipes, quia *potentia* non est genus proximum visus, nec *bipes* differentia propria hominis.

Species tamen definiri potest per genus remotum, modo afferantur omnes differentiæ inter ipsum & definitum interiectæ; sic *homo* definiri potest *substantia corporea, animata, sensitiua, rationalis.*

Prior definitio melior, quia cæteris paribus est breuior.

DE

DE DESCRIPTIONE.

ACCIDENTALIS *definitio* ſ. deſcriptio eſt oratio explicans rem per adjacentia, ſitque multis modis.

1. Per FINEM, ſic *horologium*, dicitur artefactum ad indicandas horas. *Quodlibet artefactum per finem definiri poteſt.*

2. Per CAVSAM EFFICIENTEM; ſic *Philoſophia* dicitur ars vitæ; *Eclypſis Lunæ*, poſitio terræ ſolem inter, & lunam.

3. Per EXEMPLAR; vt *tempus*, dicitur immobilis æternitatis mobilis effigies : aut *Philoſophia* ſimilitudo Dei.

4. Per EFFECTVS : ſic *Philoſophia*, dicitur meditatio mortis; vita animæ; mors corporis.

5. Per PROPRIETATES, ſic *Rabarbarum* dicitur herba bilis purgatiua, *Cenna*, Melancholiæ; *Agaricum*, Pituitæ.

6. Per ACCIDENTIVM CONGERIEM; ſic *Hiſtoria*, dicitur, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, parens immortalitatis.

7. Per Metaphoram, & analogiam, ſic *Ira*, dicitur cos fortitudinis; *ſanguis*, nectar viuificum.

8. Affertur per aliquid ex his mixtum; ſic *cor* dicitur principium vitæ, focus caloris natiui, fons ſanguinis, arteriarum ſcaturigo, pulſus, reſpirationiſque primus author, quo vigente, vigent, languente, languent, moriente, intereunt omnia.

9. Per negationem; ſic *materia* definitur à *Philoſopho*, quod non eſt quid, nec quantum, nec ali-

quid eorum quibus ens determinatur.

Æthymologia est veluti *umbra*, descriptio, quasi *vestigium*: definitio verò velut *imago essentiæ definiti*: hæc enim repræsentat perfectè essentiam definiti: descriptio autem imperfectè; Nomenclatura denique incertò, & obscurè.

REGVLÆ ACCVRATÆ *DEFINITIONIS.*

QVODLIBET *definiatur per id per quod est.*

1. Qvare definitio *non constet meris negationibus*; eæ siquidem non dicunt *quid res sit*, sed *quid non sit*.

2. Definitio *sit clarior definito*, quia est explicatio definiti; obscura enim obscuris efferre, est in tenebris extinctum lumen afferre. Hinc malè Philosophia dicitur Taumantis, *v.* Iris, quia, id est quid obscurius Philosophiâ, & quid simile veterum picturis, quibus necesse erat inscriptionem apponere, vt noscerentur.

Quamobrem definitio constet vocibus rectis, non alienis, aut obsoletis.

Vnde malè, *medulla*, dicitur ossigena, & *verbum*, quod uerum boat.

3. Definitvm præsertim si *sit absolutum*, *non ingrediatur definitionem*; quare imperfectè definitur *perfectum*, id cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis; *v. Syllogismus*, oratio includens discursum. aut *Albedo*, id quod dealbat.

4. Definitio *sit propria definito*; quia exhibere debet id per quod definitum constituitur in se,

& à cæteris distinguitur. Vnde malè definitur *rarum*, corpus habens multas vacuitates. *Planta* viuens virescens; nam fungus est planta, nec virescit. *Tum* Logica, indoctè ab imperitis, vocatur Ars cogitandi, nam Rhetorica; vt & Poetica, est ars Directiua nostrarum cogitationum.

5. Sit ADÆQVATA, nec latior, & superflua, ne *confusionem* pariat; vt si dicatur *Philosophia*, cognitio certa, & euidens rei necessariæ per causas; nec strictior, & manca ne generet *obscuritatem*. Vnde malè *homo* definitur animal sensitiuum; id enim est mancum, & superfluum.

6. *Relata*, per se inuicem definiantur; vt *duplum* dimidij, duplum, & *dimidium*, dupli, *dimidium*.

7. *Potentia*, & habitus eorumque actiones per ordinem ad propria obiecta: p. *intellectus*, facultas spiritalis cognoscitiua omnis veri. *Intellectio*, cognitio perceptiua omnis veri: *potentiæ* enim *habitus*, & eorum *actiones specificantur ab obiectis*. Hìc actio respicit obiectum.

8. ACTIO definiatur per *terminos à quo*, *& ad quem*; sic *eductio*, est productio formæ è subiecto: *v*. per solum terminum ad quem: sic *calefactio*, dicitur, productio caloris; *illuminatio*, luminis. Hìc actio consideratur per ordinem ad terminum quem producit.

9. INSTRVMENTA, per vsum; sic *oculus* dicitur organum visus. *Auris*, organum auditus.

Nomina desinentia in -Ibilis, & -ibile *debent describi per passiuum*, vt sensibile *quod sensu percipi potest*; terminata in -iuus, -iua, -iuum, *per actiuum, hoc modo* sensitiuum, *est, quod potest sensu percipere.*

VT autem rectè definias, *inuenienda sunt prædi-*

cata communia rei definiendæ cum cæteris, & ea, quibus ab omnibus discrepat donec definitio fiat adæquata definito, tum inuenisti definiti essentiam; posita enim est in primariâ illius conuenientiâ, & disconuententiâ cum rebus omnibus.

DISTRIBVTIONE *Categoriarum à se inuicem, & superiorum in inferiora inueniuntur genus proximum, & plerumque essentiales differentiæ.* Vnde discas explicandarum Categoriarum in Logicâ; Vtilitatem & necessitatem; *sic* si tibi definiendus sit *visus*, hoc pacto procedes; *visus*, inquies, non est *substantia*, non enim per se subsistit, nec *quantitas*: nam substantiam non extendit: nec est etiam *aliquid eorum quibus ens determinatur* nisi sit *qualitas*: visus autem non est *habitus, patibilis qualitas*, aut *figura*; quare est *potentia*: non autem *spiritalis*; igitur visus est *potentia materialis*, eaque *cognoscitiua*, quæ dicitur *sensus*; non autem *internus*. Quamobrem inuenisti illius genus proximum, s. quod *visus* sit *sensus externus*; & quia specificatur ab obiecto quod est *lumen* & *color*, habes definitionem *visus*, p. quod sit *sensus externus luminis & coloris perceptiuus*.

10. SVPERLATIVA per comparatiua explicentur; sic *optimum*, describitur *id quo nihil est melius* &c.

COMPARATIVA, per Verbum *superat, vincit, & similia*. sic *melius* dicitur *quod aliud bonitate superat. Deterius*, quod aliud malitiâ vincit.

CONIVGATA, coniugatè, *sic* sicut *scientia*, est cognitio rei necessariæ per proprias causas; ita *scire*, est cognoscere [illegible]s necessarias per proprias causas; *scibile*, est necessarium cognoscibile per proprias causas.

ACCIDENTIA quæ affectant subiectum definiantur per ordinem ad ipsum; sic *Gybbositas, dicitur, tumor dorsi.*

SIMILIVM, *similis est ratio*; dissimilium, *dissimilis.* Sicut enim *vtile*, est effectiuum boni; ita *noxium*, est boni priuatiuum; vt *salubre*, est effectiuum sanitatis; ita *vtile*, est effectiuum bonitatis.

VITIOSA est definiendi ratio, si omnium quæ ambiguè dicuntur vna definitio communis statuatur. *Hinc perperam definitur* propositio *oratio statuens aliquid de aliquo*; *v. oratio judicatiua*; rectè verò à Philosopho; vt *Paulò infrà.*

AMBIGVA *igitur* præsertìm analoga, sunt *diuisione definienda*; vt *sanum*, id quod est *subiectum, principium*, *v. signum sanitatis.*

ANALOGA, tamen possunt vnâ ratione obscurè describi; vt si dicatur *sanum*, quod *ordinatè se habet adsanitatem*; quòd confusè aliquatenus vnum connotant.

ÆQVIVOCA priùs sunt diuidenda, quam definienda; quia nullam prorsus habent rationem communē p. *Taurus*; vt est *animal*, *mons*, *& signum cæleste.*

TRACTATVS SECVNDVS DE SECVNDA MENTIS OPERATIONE.

SECVNDA mentis operatio, est veluti secundus cognitionis gradus; *vocatur, Iudicium* quod Iudicis partes gerat; scilicet, *suum cuique* per

veram affirmationem tribuendo, & quod alienum est per negationem auferendo.

Dicitur, *Enuntiatio*, & *Interpretatio* quod clarè latentes animi conceptus explicet, & exponat.

Dicitur propositio; quia in syllogismo proponitur vt ex eâ aliquid assumatur, & eruatur.

Dicitur *oratio constans subiecto, attributo, & copulâ verbali.*

Definitur à Philosopho, Oratio dicens aliquid alteri inesse, *v.* non inesse pro temporum diuisione.

Sumitur tripliciter p. hæc propositio *homo est animal n.*

1. *Vocaliter* quæ *ore* profertur, & *aure* percipitur.

2. *Mentaliter*, idque *v.*

Formaliter, quæ est operatio mentis vnum cum altero componens, aut ab alio diuidens; p. actio quâ mens animalitatem humanitati coniungit.

Terminatiuè, & sunt *species* subiecti, & attributi à mente expressæ p. animalis, & hominis.

3. *Obiectiuè v.*

Primò Intentionaliter, & est res ipsa quæ subjicitur, & prædicatur p. homo, & animal.

secundò Intentionaliter, est secunda intentio; p. ratio subiecti, *v.* attributi quam mens affingit rei quod de ipsâ aliquid dicatur, *v.* de ipsâ prædicetur, quo sensu propositio dicitur constare *subiecto*, & *attributo*.

DE SECVNDIS INTENTIONIBVS LOGICIS.

INTENTIO *Moraliter*, est consilium, f. statutum, & actio voluntatis ad finem tendentis.

Physicè, intensio est, perfectio qualitatis.

Logicè, est quæuis cognitio; quia est veluti tendentia facultatis cognoscentis in obiectum iuxta illud.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Intentio; tamen strictè Logicis, est sola mentis operatio; quia ipsa est cognitionum potissima. dicitur quasi *attentio*; quia solius est intellectus attendere, f. cognitionem reflexè cognoscere.

Cognitio, vt plurimum transfertur in obiectum cognitum, sic res visa dicitur *aspectus*; res imaginata dicitur *imaginatio*. Hinc.

INTENTIO duplex *n*.

1. *Formalis* quæ *est* rei conceptio, p. *cognitio solis*.
2. *Obiectiua*, quæ *est* res concepta; p. *sol cognitus*, & est duplex *n*.

Prima, f. res cognita secundùm esse quod habet à naturâ; vt dum *homo* dicitur *bipes*.

Secunda, est res concepta secundùm *formam* ei aduenientem solùm à mente; vt dum homo dicitur subiectum, *animal*, attributum &c.

Inde oritur hæc dicendi formula *primò intentionaliter*, *secundò intentionaliter*.

DIVISIO ENVNTIATIONIS.

ENVNTIATIO duplex est, p.

1. *Simplex*, in quâ vnum de vno tantùm affirmatur; va *aequitas Iudicij*, est *vrbium vectis*, aut vnum de vno negatur: vt *diuitiæ non decent stultum*.

2. *Complexa*, est in quâ vnum de multis affirmatur, *v.* negatur; vt *qui iustificat impium. v. Damnat innocentem est abominabilis Deo.*

v. In quâ plura de vno; vt *qui seminat iniquitatem metet mala, & corruet.*

v. Plura de pluribus; vt *qui dicit impio, iustus es, & pio, iniustus es maledicetur; & confusione suffundetur.*

VTRAQVE est absoluta, *v.* modalis.

MODALIS, est ea in quâ *modus* exprimitur quo attributum inest, *v.* non inest subiecto.

MODVS, hìc est signum indicans genus materiæ, *s.* internam terminorum connexionem, aut repugnantiam, *Estq.* quadruplex p.

Necessarium, contingens, possibile, impossibile, vt in istis propositionibus.

Deus est necessariò iustus

Contingens est Deum impijs parcere.

Possibile est Deum delicta non condonare

Impossibile est Deum aberrare, v. iniustitiam facere.

Prima propositio est in materiâ necessariâ, secunda, & tertia in materiâ contingenti &c.

ABSOLVTA, est ea in quâ non exprimitur *modus* quo attributum inest, *v.* non inest subiecto; vt *Deus est sapientia.*

Propoſitio *ſimplex abſoluta* conſideratur tripliciter, ſecundùm ſe, comparatè ad aliam propoſitionem, *v.* ad ſyllogiſmum.

In propoſitione ſimplici abſolutè conſideratâ quatuor ſunt p. Materia, Forma, Quantitas, Qualitas.

MATERIA propoſitionis ſunt duo termini in quos propoſitio reſolui poteſt, *n. ſubiectum, & attributum.*

Propoſitio reſolui dicitur in ea quæ ſuperſunt ſublatâ copulâ verbali, *ſum, es, eſt;* ſic hæc *propoſitio* animal eſt viuens reſolui dicitur in hos terminos *animal*, & *viuens*, quia remanent ſublatâ copulâ, *eſt.*

Subiectum, eſt id de quo aliquid dicitur *prædicatur, v. affirmatur*; vt animal, in præcedenti propoſitione cui attribuitur *viuens.*

Prædicari ſequitur eſſe.

Quia priùs eſt rem alteri ineſſe quam ipſi verè attribui: p. priùs eſt albedinem ineſſe parieti quam verè paries dicatur albus.

Prædicetur ſuperius de inferiori: animal de homine: forma de ſubjecto; differentia de ſpecie, non viciſſim.

Inferius ſubjciatur ſuperiori. Homo animali.

Differentia de ſpecie; rationale de homine, forma de ſubiecto, albedo de pariete dicatur, non viciſſim.

Forma *prædicetur in concreto de ſubiecto. Superius de inferiori, differentia de ſpecie* non enim dicitur *paries eſt albedo*, ſed *albus*; *homo eſt animalitas*, ſed animal: *homo eſt rationalitas*, ſed rationalis.

Subiecto propoſitionis vniuerſalis attributum vni-

uersaliter conueniat; vt *animal quod conuenit omni homini* vniuersaliter. Hinc falsa est hæc propositio *omnis homo est albus.*

Forma propositionis, est verbum, vt copulat attributum subiecto; v. ipsum mediante negatione à subiecto separat.

Copula verbalis, est verbum substantiuum sum, es, est; vt dum dicitur *homo est admiratiuus*; *homo non est hinnitiuus.*

Verbum, Sum, Es, Est, dicitur simpliciter *copula verbalis*, licet in propositionibus negatiuis non copulet, sed separet attributum à subiecto; quia propositio affirmans nobilior est negante, tum quia verbum substantiuum per se coniungit attributum subiecto, separat verò illud per particulam negatiuam *non.*

Qualitas propositionis duplex est.

1. *Altera forma, n. affirmatio, s. compositio attributi cum subiecto, v. negatio, s. diuisio attributi à subiecto.*

2. Altera materiæ, p. *veritas*, quæ est conformitas propositionis cum obiecto, & *falsitas*, quæ est difformitas propositionis cum obiecto.

Affirmatio, & negatio dicuntur qualitas formæ; quia afficiunt verbum substantiuum prout est copula.

Veritas, & falsitas dicuntur qualitas materiæ; quia respiciunt conuenientiam v. repugnantiam attributi cum subiecto quæ sunt materia propositionis.

Quantitas propositionis, est extensio ipsius subiecti ad vnum v. ad plura.

Ea dignoscitur ex solo subiecto, dum singulare est, v. ex aliquo signo *vniuersalitatis*, aut *particularitatis* quod subiecto præfigitur, vt patebit modò.

DE PROPOSITIONE CONSIDERATA RATIONE QVATVOR SVPRA *DICTORVM.*

PROPOSITIO ratione materiæ eſt v.

1. *Neceſſaria*, quæ ita vera eſt; vt nequeat eſſe falſa; vocaturque propoſitio æternæ veritatis; vt hæc *Deus eſt.*

2. *Impoſſibilis*, quæ ita falſa eſt; vt nequeat eſſe vera, & eſt propoſitio æternæ falſitatis; vt *non eſt Deus.*

3. *Contingens* quæ ita vera eſt; vt poſſit eſſe, falſa, & ita falſa, vt poſſit eſſe vera, qualis eſt hæc, *Petrus ſtudet.*

RATIONE formæ eſt v.

1. *Propoſitio* de primo adjacente, in quâ attributum primo jacet loco, ſ. verbum fungitur vice ſubjecti, copulæ, & attributi; vt *ſufficit.*

2. *Propoſitio* de ſecundo adjacente, eſt ea in quâ verbum ſecundo jacet loco; ſ. fungitur vice copulæ, & attributi; vt *gratia mea tibi ſufficit.*

3. *Propoſitio* de tertio adjacente, dicitur ea in quâ verbum fungitur vice copulæ tantùm, ſ. tertio jacet loco; vt *gratia mea tibi eſt ſufficiens.*

PROPOSITIO ratione qualitatis, eſt v.

1. *Affirmans*, quæ dicit aliquid eſſe; vt *inuidus eſt ignauus.*

2. *Negans*, quæ dicit aliquid non eſſe; vt *auarus diuitiÿ non ſatiabitur.*

uersaliter conueniat; vt *animal quod conuenit omni homini* vniuersaliter. Hinc falsa est hæc propositio *omnis homo est albus*.

FORMA propositionis, est verbum, vt copulat attributum subiecto; *v.* ipsum mediante negatione à subiecto separat.

Copula verbalis, est verbum substantiuum sum, es, est; vt dum dicitur *homo est admiratiuus*; *homo non est hinnitiuus*.

Verbum, Sum, Es, Est, dicitur simpliciter *copula verbalis*, licet in propositionibus negatiuis non copulet, sed separet attributum à subiecto; quia propositio affirmans nobilior est negante, tum quia verbum substantiuum per se coniungit attributum subiecto, separat verò illud per particulam negatiuam *non*.

QVALITAS propositionis duplex est.

1. *Altera forma, n. affirmatio, s. compositio attributi cum subiecto, v. negatio, s. diuisio attributi à subiecto*.

2. Altera materiæ, p. *veritas*, quæ est conformitas propositionis cum obiecto, & *falsitas*, quæ est difformitas propositionis cum obiecto.

Affirmatio, & negatio dicuntur qualitas formæ; quia afficiunt verbum substantiuum prout est copula.

Veritas, & falsitas dicuntur qualitas materiæ; quia respiciunt conuenientiam v. repugnantiam attributi cum subiecto quæ sunt materia propositionis.

QVANTITAS propositionis, est extensio ipsius subiecti ad vnum *v.* ad plura.

Ea dignoscitur ex solo subiecto, dum singulare est, *v.* ex aliquo signo *vniuersalitatis*, aut *particularitatis* quod subiecto præfigitur, vt patebit modò.

DE PROPOSITIONE CONSIDERATA RATIONE QVATVOR SVPRA *DICTORVM.*

PROPOSITIO ratione materiæ eſt *v.*

1. *Neceſſaria*, quæ ita vera eſt; vt nequeat eſſe falſa; vocaturque propoſitio æternæ veritatis; vt hæc *Deus eſt.*

2. *Impoſſibilis*, quæ ita falſa eſt; vt nequeat eſſe vera, & eſt propoſitio æternæ falſitatis; vt *non eſt Deus.*

3. *Contingens* quæ ita vera eſt; vt poſſit eſſe, falſa, & ita falſa, vt poſſit eſſe vera, qualis eſt hæc, *Petrus ſtudet.*

RATIONE formæ eſt *v.*

1. *Propoſitio* de primo adjacente, in quâ attributum primo jacet loco, ſ. verbum fungitur vice ſubiecti, copulæ, & attributi; vt *ſufficit.*

2. *Propoſitio* de ſecundo adjacente, eſt ea in quâ verbum ſecundo jacet loco; ſ. fungitur vice copulæ, & attributi; vt *gratia mea tibi ſufficit.*

3. *Propoſitio* de tertio adjacente, dicitur ea in quâ verbum fungitur vice copulæ tantùm, ſ. tertio jacet loco; vt *gratia mea tibi eſt ſufficiens.*

PROPOSITIO ratione qualitatis, eſt *v.*

1. *Affirmans*, quæ dicit aliquid eſſe; vt *inuidus eſt ignauus.*

2. *Negans*, quæ dicit aliquid non eſſe; vt *auarus diuitijs non ſatiabitur.*

3. *Vera*, quæ conformis est rebus; vt *clementiâ corroboratur Thronus principis.*

4. *Falsa*, quæ difformis est rebus; *vt* testis falsus non erit impunitus.

CONTRADICTIO, est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem secundùm eadem omnia, sublatis importunis Sophistarum cauillationibus.

DENIQVE ratione quantitatis, est v.

1. *Singularis*, cuius subiectum singulare est; vt *Salomon fuit Regum sapientissimus.*

2. *Particularis*, cuius subiectum est commune affectum signo particularitatis *Aliquis*, *Quidam Nonnullus*; vt *aliquis Imperator fuit fortissimus.*

3 *Vniuersalis*, est ea cuius subiectum est commune affectum signo vniuersalitatis, *Omne*, *Nullum*; vt *omnis illusor est abominabilis Deo.*

4. *Indefinita*, est cuius subiectum est commune, nullo affectum signo particularitatis, aut vniuersalitatis; vt *impius non roborabitur impietate suá.*

DE AFFECTIONIBVS TERMINORVM PROVT SVNT IN ENVNTIATIONE.

PRÆCIPVVS Sophistarum locus est, *ambiguitas*, s. æquiuocatio in terminis, & amphibologia in orationibus.

Vt eorum cauillationes, & fraudes paucis soluere, & dissoluere diligenter varias affectiones terminorum & acceptationes nos callere necessum est.

Eæ porro sunt *suppositio*, *ampliatio*, *ascensus*, *descensus*, *alienatio*, *appellatio*, *restrictio status*, *distra-*

ctio, conjunctio, diuisio, diminutio, appellatio, prædicatio.

Suppositio, est positio, vsus, s. acceptio termini vice alterius.

Non est idem ac significatio; nam voces significant conceptus; non autem supponunt pro conceptibus.

SVPPOSITIO est

1. *Materialis*, quæ est acceptio termini pro voce; vt dum dicitur, *homo est nomen.*

2. *Formalis*, est acceptio termini pro re significatâ, & est, *v.*

Metaphorica, quæ dicitur alienatio, *de quâ infra.*

Propria, dum terminus designat rem ad quam significandam destinatus est, sic propriè dicitur *Leo rugit*; Metaphoricè verò de Christo, quod sit Leo de Tribu Iuda.

PROPRIA est

1. *Singularis*, s. acceptio termini pro re singulari; vt *hic homo est justus.*

2. *Communis*, est acceptio termini pro significato communi, & est

Simplex, s. acceptio termini communis sumpti secundò intentionaliter; vt dum dicitur, *homo est species.*

Personalis, s. realis quæ est acceptio nominis pro re primo intentionaliter sumptâ. *Estque* quadruplex, p.

1. *Collectiua*, s. acceptio termini pro significatis omnibus collectiuè, non sigillatim sumptis, vt dum dicitur *Planeta sunt septem*, quilibet enim Planetarum non sunt septem, sed omnes simul.

Determinata, est acceptio termini communis pro aliquo determinato, vt *venator feram occidit*.

Confusa, est acceptio termini pro significatis omnibus disiunctim, sed indeterminatè; vt *miles, necessarius est ad stationem; Oculus, ad videndum*: vno enim amisso non deficit alter.

Distributiua, est acceptio termini communis pro significatis omnibus sigillatim, & distributiuè sumptis, & est *v.*

Pro singulis generum, f. pro singulis indiuiduis seorsim naturæ communis; vt *omne animal est viuens*, nam *viuens* conuenit Petro, Bucephalo, & quibusvis aliis.

Altera pro generibus singulorum, quando terminus communis sumitur pro aliquibus ex omni genere; vt dum *dicitur* omne animal fuit in Arcâ Noë; *v.* quælibet natio degit Lutetiæ.

Ascensus, est progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad terminum communem; vt *ignis corrumpitur, aër, aqua, terra*, ergo *omne elementum corrumpitur.*

Descensus, est progressio à toto communi ad particularia; vt omnis *Planeta est sidus erraticum*. Igitur *Luna, Mercurius, Sol*, &c. sunt sydera erratica.

Ampliatio Grammaticis, est auctio. Dialecticis, est extensio termini à minori suppositione ad maiorem; p. vel ad plures temporis differentias; *v.* ad plura subiecta; vt dum dicitur *animal moritur*, nam sensus est quod *animal* quod *est, fuit, & erit; fit, fuerit, & erit obnoxium morti.*

Restrictio, est coarctatio termini ad pauciora significanda quam de more solito significet, fitque

Citra additionem vllius, & per *Antonomasiam*; vt dum *Philosophus* restringitur ad *Aristotelem*, *v*.

Per additionem alicuius vocis, p. *Epiteti* ; vt dum dicitur HENRICVS MAGNVS, aut *Appositi*, vt dum dicitur vrbs *Roma*, *v. aduerbij*; vt *eleganter Loqui* ; aut *obliqui casus* ; vt dum profertur *Rex Galliæ*.

Appellatio, est denominatio vnius termini ab alio ; f. applicatio significati vnius ad significatum alterius cui præsertim accidentariò conueniat & est

Materialis cum terminus appellans afficit subiectum propositionis ; vt *Aristoteles paruus, fuit Philosophus*.

Formalis, cum terminus appellans refertur ad attributum ; vt Aristoteles fuit magnus Philosophus.

Alienatio, est abductio significationis propriæ termini ad alienam significationem, fitque

Metaphorâ, quæ est traductio vnius termini à propriâ significatione ad minùs propriam ; vt dum *Ceres* sumitur pro *pane*.

Allegoriâ, quæ est continuata metaphora ; vt illud parasiti apud Comicum.

Famem suspicor fuisse matrem mihi
Nam postquam natus sum satur *numquam fui*,
Sed quam matri mea refero inuitissimus
Ea mihi numquam retulit mater gratiam,
Nam me illa in aluo menses gestauit decem;
At ego illam in aluo gesto plus annos decem;
Atque illa puerum me gestauit paruulum
(Quominùs laboris illam cepisse existimo)
At ego non paucillulam in vtero gesto famem

Verum me Hercule multò maximam, & grauissimam.

Status, est cum non extenditur terminus vltra tempus adsignificatum verbo; vt dum dicitur *Petrus studet*, & vera est hæc propositio in sensu composito seu quandiu componitur *studium* cum *Petro*.

Distractio, est translatio termini ad aliam temporis differentiam; vt *cæci vident*, id est qui fuerunt cæci, nunc vident, & vera est hæc propositio in sensu diuiso: si nimirum separetur cœcitas à cæco.

Diminutio, est detractio partis suppositionis additione dictionis; vt dum *Æthiops*, dicitur, *albus secundùm dentes*:

Alia est vis terminorum dum componuntur, alia dum separantur. Vnde si dicatur animal, simpliciter, & seorsim, significat *viuens sentiens*: si addatur *mortuum*, significat *cadauer*.

Prædicatio, est vera vnius de alio affirmatio, estque

In obliquo, vt dum *filius* dicitur *patris filius*.

In recto, quæ est quadruplex, *n*.

1. *Causalis*, dum causa affirmatur de effectu; vt exaltatio oculorum, est dilatatio cordis.

2. *Effectualis*, cum effectus affirmatur de causâ; vt dilatatio cordis, est exaltatio oculorum.

3. *Per Concomitantiam*, cum ea quæ se se comitantur de se inuicem prædicantur; vt dum dicitur lucrum vnius est damnum alterius.

4. *Identica*, quando attributum est idem cum svbiecto estque

Nugatoria, quando attributum nihil manifestat distinctè à subiecto, vt dum dicitur *animal est animal*.

Categorica, cum attributum manifestat aliquid distinctum à subiecto, & est.

Directa, cum affirmatur superius de inferiori; vt *homo est animal*, v. proprium de subiecto; vt *homo est risiuus*, v. forma de subiecto; vt paries est albus.

Abstracta insunt, albedo inest gypso, concreta prædicantur dicitur gypsum est album.

Prædicari sequitur esse

Omnis n. prædicatio identica fundatur in identitate.

Prædicatio identica, v. est formalis, v. identica simpliciter.

Prædicatio formalis, ea est in quâ attributum est de essentiâ subiecti; vt dum dicitur *homo est animal* non potest enim concipi homo sine animali.

Identica simpliciter, est in quâ attributum significatur esse quid idem realiter cum subiecto; vt dum dicitur *misericordia Dei* est *iustitia*.

DE PROPRIETATIBVS *PROPOSITIONIS.*

PROPRIETATES propositionis sunt *quantitas, qualitas*, de quibus supra *conuersio, oppositio*, *æquipollentia.*

CONVERSIO propositionis, est mutatio subiecti in attributum, v. attributi in subiectum seruatâ eâdem qualitate, estque triplex p.

1. *Simplex*, in quâ seruatur eadem quantitas, & qualitas.

2. *Per accidens*, s. conuersio quantitatis in quâ non remanet eadem quantitas.

3. Per *contra-positionem* in quâ termini de finitis fiunt infiniti, & nullius est eius vsus apud Latinos.

Qualiter fieri debeat conuersio, ex hisce versibus disces.

fEcI simpliciter conuertitur; EuA per *acci.*
AstO per contra sic fit conuersio tota

A designat propositionem vniuersalem affirmantem.

E, vniuersalem negantem.

I, particularem affirmantem.

O, particularem negantem.

Id patet his versibus

Asserit A, negat E, verum generaliter ambò.
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

fEcI *simpliciter conuertitur*, id est propositio *vniuersalis negans, v. particularis affirmans*, conuertitur conuersione simplici; p.

{ Nullus homo est equus
{ Nullus equus est homo

{ Aliquis homo est Philosophus
{ Aliquis Philosophus est homo

EuA *per acci.* id est propositio *vniuersalis negans v. vniuersalis affirmans* conuertitur conuersione per accidens.

{ Nullus homo est equus.
{ Aliquis equus non est homo.

{ Omnis homo est animal
{ Aliquod animal est homo.

{ Aliquod animal non est Equus
{ Aliquis non Equus, non est non animal.

Oppositio, est pugna duarum propositionum eodem subiecto, & attributo eodem modo acceptis constantium, & sunt quatuor p.

1. *Subalternæ*, quarum vna est vniuersalis, altera particularis sub vniuersali contenta.

{ Omnis homo, est albus
{ Aliquis homo, est albus.

2. Contrariæ, sunt vniuersales vniuersaliter oppositæ s. quarum vna est affirmans, altera negans; vt

{ Omnis leo est rugitiuus
{ Nullus leo est rugitiuus

3. Subcontrariæ, sunt propositiones particulares sub vniuersalibus contentæ, vt

{ Aliquis homo est albus
{ Aliquis homo non est albus.

4. Contradicentes, sunt eæ quarum vna est vniuersalis affirmans altera particularis negans, *v.* vicissim; vt

{ Omnis homo est animal
{ Aliquis homo non est animal

{ Nullus homo est animal
{ Aliquis homo, est animal

Æqvipollentia propositionis, est reductio vnius propositionis in sensum alterius mediante vnâ *v.* multiplici negatione quæ quomodo fiat docet hic versus:

Præ. *contradici* Post, *contra*: Præ., Post*qv* *subalter*.

Id est propositiones contradicentes fiunt æquiualentes præfigendo particulam *non* signo vniuersalitatis, aut particularitatis, sic *omnis homo est animal*, fit æquiualens huic, *aliquis homo non est animal* præfigendo particulam, NON, *aliquis homo* NON *est animal*, vel *non omnis homo est animal.*

Contrariæ fiunt æquiualentes postponendo particulam, NON, subiecto. *hoc modo.*

{ Omnis homo est animal
{ Nullus homo est animal. *dicendo*

Nullus homo non est animal

PRÆ. POSTQVE *subalter.* Idest propositiones subalternæ fiunt æquiualentes præfigendo, & postponendo particulam. non subiecto. *hoc modo*

{ Omnis homo est albus.
{ Aliquis homo est albus, *dicendo*

Aliquis non homo est non albus.

TRACTATVS TERTIVS

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE.

TERTIA mentis operatio, dicitur *discursus* quia per eam ratio ab vnâ propositione veluti currit ad aliam.

Dicitur *ratiocinatio*: quia continet rationem propositionis dubiæ.

Illatio; quia est oratio inferens vnum ex alio.

Argumentatio; quia est argumenti elocutio, & suolutio.

Argumentum, est ratio arguens, f. conuincens mentem, id est ratio rei dubiæ faciens fidem. Vocaturque medium; quia eâ mediante probatur attributum inesse *v.* non inesse subiecto; vt in istâ ratiocinatione *vegetare*. herba vegetat, ergo est viuens.

In argumentatione tria sunt, p.

1. ANTECEDENS, f. propositio, *v.* propositiones ex quibus infertur alia; vt in præcedenti ratiocinatione *herba vegetat* ex quâ infertur hæc *ergo* herba viuit.

2. CONSEQVENS est propositio quæ infertur ex aliâ *v.* ex alijs, vt in priori argumentatione *herba viuit*.

CONSEQVENTIA, f. *consequutio*, est connexio antecedentis cum consequente; vt connexio inter esse *vegetans*, & esse *viuens*.

Consequens, & *consequentia*, multum inter se discrepant nam possunt mutuò esse sine inuicem p. in his Enthymematis.

{ Homo est substantia
{ Ergo homo est rationalis.

Est ibi consequens; quia verum est quod homo sit rationalis, non est consequentia; quia non est connexio inter esse substantiam, & esse rationale: nam lapis est substantia nec est rationalis.

{ Equus est rationalis
{ *Ergo* Equus, est disciplinæ capax.

Ibi est consequentia, quia est connexio tanta inter rationale, & disciplinæ capax: vt si per impossibile *Equus* foret rationalis, foret & disciplinæ capax.

DVPLEX est *consequentia* vna necessaria, altera

probabilis, f. contingens, *necessaria*, ea est quæ non potest aliter, & aliter se habere;

vt { Homo est rationalis
{ *Ergo* est disciplinæ capax.

Contingens, est ea quæ potest aliter, & aliter se habere; vt

{ Homo dat Eleemosynam
{ Ergo homo est liberalis

In necessarijs valet consequentia à diuisis ad coniuncta, & vicissim; vt

{ Petrus est animal, & est rationalis
{ *Ergo* Petrus est animal rationale, *v.*
{ *Ergo* Petrus est animal.

In contingentibus non valet consequentia à diuisis ad coniuncta, v. vicissim. Non valet dicere

{ Petrus est magnus, & Philosophus,
{ Ergo Petrus, est magnus Philosophus, *v.*

{ Petrus est magnus Philosophus.
{ Ergo Petrus est magnus.

Argvmentatio vulgò est sextuplex p.

1. Indvctio, f. argumentatio in quâ è multis particularibus, similibus sufficienter enumeratis infertur aliquod vniuersale, *v.* particulare, *v. g. Luna, Mercurius; Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus*, est erraticus: *ergo* omnis, *v.* aliquis Planeta est erraticus.

Inductione principia probantur; *cum tamen sit* sensui familior, & notitia singularium sit principium cognitionis vniuersalium; *ducit experimentum, docet ratio.*

2. EXEMPLUM, est argumentatio in quâ ex vno singulari aliud singulare infertur, hoc modo.

Romani nimis extendentes imperium cecidere imperio
Ergo Ottomanni nimis amplificantes imperium cadent imperio.

Exemplum, est inchoata *inductio*, oratoribus propria.

DILEMMA, ita dicitur quod vtrimque capiat; est argumentatio constans pluribus propositionibus quarum quælibet concessa capit, & decipit aduersarium; vt si quis negaret veritatem; ita argueretur.

Negando veritatem; vel verum dicis, vel falsum; si verum dicis existit *veritas*; si falsum dicis, falsum est quod non detur *veritas* ergo *veritas* existit.

GRADATIO vocatur *sorites* à nomine σωρὸς acervus quod sit argumentationum *coaceruatio*.

Vocatur *argumentatio à primo ad vltimum*; quia est argumentatio constans multis propositionibus ita inter se connexis; vt de subiecto primæ, & attributo vltimæ conclusio colligatur, hoc modo

Quod desideratur naturaliter haberi potest
Vltima hominis perfectio desideratur naturaliter
Beatitudo verò est vltima hominis perfectio
ERGO beatitudo haberi potest

Enthymema vulgò est *Syllogismus truncatus*, & imperfectus quod altera propositionum syllogismi perfecti *major*, *v. minor* ἐν τῷ θύμῳ in animo retineatur, & reticeatur.

Corpus est substantia
Ergo corpus est ens per se, *v*,

Corpus est ens per se
Ergo corpus est substantia.

Syllogismvs est scientiarum *clauus*, veritatis reserandæ *clauis*, & *claua* resecandæ imò conterendæ, & atterendæ falsitatis; sola quippe est, & vnica perfectè argumentandi ratio.

Syllogismvs, *definitur à Philosopho*, oratio in quâ quibusdam positis aliud quoddam ab ijs quæ posita sunt necessariò accidit, eo quod hæc sint. s.

Est oratio in quâ duabus præmissis admissis, & concessis necessariò tertia concedenda est vi formæ, p.

Omne vitium est turpe
Ebrietas est vitium
Ergo ebrietas est turpis.

Logico circa syllogismum, *vt & cuiuis artifici*.

Circa proprium obiectum tria prænoscenda sunt, *n*.

Strvctvra, Examen, Species.

DE SYLLOGISMO.

AD structuram syllogismi, & ad cuiusvis artefacti fabricam tria scienda sunt *n*. quæ sit eius materia, quomodo inuenienda, quomodo disponenda.

DE MATERIA SYLLOGISMI.

MATERIA syllogiſmi proxima eſt, vel remota.

Remota ſunt tres termini Maior, Minor, Medius, quia ex ijs remotè ſyllogiſmus componitur.

MAIOR *terminus*, eſt is qui reperitur in maiore, & concluſione.

MINOR, in minori, & concluſione.

Medium, nunquam reperitur in concluſione.

Maior } eſt in { *Maiori* } cum *medio*
Minor } eſt in { *Minori* } cum *medio*

Medius terminus, eſt ratio probans majus extremum concluſionis ineſſe, *v.* non ineſſe minori extremo; vt

Omnis virtus eſt honeſta,
Iuſtitia eſt virtus:
ERGO Iuſtitia eſt honeſta.

Honeſta } eſt { Maior terminus.
Iuſtitia } eſt { Minor terminus.
Virtus } eſt { Medius terminus.

DE MATERIA PROXIMA SYLLOGISMI.

MATERIA proxima, ea eſt ex quâ proximè Syllogiſmus componitur, & ſunt *tres propoſitiones*, *n.* maior propoſitio, minor, concluſio.

Maior propositio ea, est in quâ majus extremum conjungitur cum medio; vt in superiori syllogismo.

Omnis virtus est honesta, &c.

Minor, est ea in quâ minus extremum reperitur cum medio, vt in exemplo allato

Iustitia est virtus, &c.

Vtraque propositio dicitur *Antecedens*, quod conclusionem inferat.

Conclvsio est ea, in quâ conjungitur minus extremum cum majori; vt patet in præcedenti syllogismo.

Dicitur consequens quia infertur, f. sequitur ex maiori, & minori propositione.

Propositio probanda, dicitur, *quæstio*, f. *problema*; *probata*, vocatur, *conclusio*.

Maior, dicitur, *propositio* simpliciter; quia vt plurimùm in eâ sunt principia quæ solùm egent proponi, non probari.

Minor, dicitur, *assumptio*, quia vt plurimùm in eâ minus extremum assumitur è maiori; vt pars è toto; vt patet ex priori syllogismo, vbi n. *Iustitia* est pars *virtutis* f. *particularis virtus*.

Maior & *minor* dicuntur *præmissæ*; quod conclusioni præmittantur.

Conclusio est propositio probata, & collecta ex duabus præmissis, vnde rectè dicitur *complexio* & *summa* totius ratiocinij.

DE INVENTIONE MEDII.

AD inueniendam syllogismi materiam sufficit reperire *solum medium*: nam duo alij termini semper præsto sunt, scilicet *maior*, & *minor* ex quibus constat *quæstio*; vt dum quæritur, *an*, & *cur* Angelus sit immortalis; in promptu sunt *Angelus*, qui est *minor*, & *immortalis*, qui est *maior terminus*, itaque requiritur solùm; vt quæstio probetur, s. quod MEDIVM inueniatur; id vt fiat.

In probandis problematibus affirmatiuis quærenda est ratio cur *attributum* conueniat *subiecto* sic

Vt probes quod Angelus sit immortalis; *spiritale* est legitimum *medium*, quia est id quod verè debet responderi dum quæritur cur *Immortalitas* conueniat *Angelo*.

In probandis conclusionibus negatiuis, inuestiganda est ratio cur *attributum subiecto*; vel *subiectum* repugnet *attributo*, sic

Vt concludatur quod *Angelus* non sit corruptibilis, *mixtum*, vel *spiritale*, est legitimum medium: quia *mixtum*, est ratio demonstrans *corruptibile* non conuenire *Angelo*: *spiritale*, verò est ratio arguens repugnantiam *Angeli* cum *corruptibili*.

In probandis quæstionibus affirmatiuis, *medium* sit *antecedens* attributi, *consequens* subiecti; sic *animal*, est legitimum medium quo probetur *viuens* de *homine*.

In probandis conclusionibus negatiuis *medium* sit *consequens* subiecti, *repugnans* attributo, *v. con-*

sequens attributi, *repugnans* subiecto, sic.

Vt concludatur quod *Angelus* non sit *corruptibilis*, *mixtum* est legitimum medium, quia est *consequens* Angeli, *repugnans* corruptibili.

Ad inueniendam accuratam rationem cur attributum insit *v.* non insit subiecto requiritur.

Solers animi sagacitas, studium, vsus, & exercitatio in differendo ex arte, tum necesse est scire quid sint termini ANTECEDENS, CONSEQVENS, REPVGNANS, *de quibus supra.*

OMNE SVPERIVS est CONSEQVENS; vt animal respectu *hominis.*

OMNE INFERIVS est ANTECEDENS; vt *homo* respectu *animalis.*

OMNE Reciprocum est promiscuè *Antecedens*, *v. Consequens*; vt *homo* & *rationale*.

OMNIS Terminus, *Incompatibilis* cum altero est *Repugnans*; vt *homo*, & *Planta*.

Sciendum est deinde quodnam sit legitimum demonstrationis medium.

MEDIVM Demonstrationis est *Definitio*.

Quodlibet causarum genus est etiam medium demonstrationis à priori : sicut quilibet effectus est medium demonstrationis à posteriori : cum autem demonstratio non sit mediocris rationis perfectio, is quippe est, inquit Poëta

Fœlix qui potuit rerum dignoscere causas.

Maxima debet esse Logico demonstrationis cura.

DE FORMA SYLLOGISMI.

FORMA Syllogismi, est dispositio terminorum, *v.* propositionum ad concludendum idonea; estque *figura*, *v. modus*.

Figvra, est apta dispositio medij, cum extremis ad ritè concludendum; *estque triplex*, *p.*

Prima, in quâ *medium* subjicitur in *majori*, & prædicatur in *minori*; vt

Omne animal est viuens
Omnis homo est animal
Ergo omnis homo est viuens.

Secvnda, in quâ *medium* prædicatur in vtrâque præmissarum; vt

Nullus Angelus, est corruptibilis
Omne mixtum, est corruptibile
Ergo nullum mixtum est Angelus.

Tertia, in quâ *medium* subjicitur in vtrâque præmissarum; vt

Omnis simia æmulatur hominem
Omnis simia est bellua
Ergo aliqua bellua æmulatur hominem.

Dispositionem medij cum extremis hoc versiculo disces.

Sub. Præ. *prima* : *secundaque bis* Præ. *tertia* [*bis* Sub.

Modvs, est dispositio propositionum ad concludendum idonea.

Modi sunt nouemdecim, nempe quatuor directi primæ figuræ quibus præsertim vtendum est; & præcipuè duobus primis; vt potè ad sciendum aptioribus; cum sint vniuersales; tum quod sint perfectissimi, quia ijs nihil addi, nec quidquam ab ijs detrahi potest : ars autem moliri debet id quod est optimum, cum sit imitatio naturæ.

Quatuor modi directi primæ figuræ sunt.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio,
Quinque indirecti ſunt - Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Quatuor ſecundæ figuræ ſunt.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.
Sex tertiæ figuræ ſunt -Darapti;
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Prima Syllaba *maiorem*, ſecunda *minorem*; tertia *conclusionem* deſignat. Quod ſi plures reperiantur; vt in BARALIP*ton*, vltimæ ſunt metri, non ſignificationis gratiâ.

Omnes modi incipiunt per B. C. D. F., & imperfecti qui incipiunt per B. niſi aliquid obſit; vt C. in BaroCo, & BoCardo, debent reduci ad Barbara; vt Baralipton, qui per C. *vt* Celantes, Ceſare, &c. ad Celarent, qui per D. *vt* Dabitis, Diſamis &c. ad Darij. Qui per F. vt Fapeſmo, Felapton &c. ad Ferio.

Conſtant quatuor vocalibus A, E, I, O, quarum valor notus eſt.

Mediæ conſonantes ſunt S. P. M. C. quarum vſus docebitur modò.

OMNES modi à quatuor primis ſunt imperfecti, quia indirectè concludunt; hinc obſcurior eſt eorum concludendi neceſſitas; vndè debent ad quatuor primos modos primæ figuræ reuocari, in ijs quippe perfectè probantur omnia problematum genera, ideſt *vniuerſalia*, *particularia*; *affirmatiua*, *negatiua*. Quamobrem quâ ratione in eâ termini inter ſe diſponantur, præſtat ampliori ratione exponere.

In *Modis directis prima figura.*

MEDIVM subiiciatur in *maiori*, Maius Extremum attribuatur.

MINVS extremum subiiciatur in *minori*; Medium attribuatur.

MINVS Extremum subiiciatur in *conclusione*, Maius Extremum attribuatur, *v. g.*

medium *maius extremum.*
Nullum immortale est corruptibile
minus extremum *medium*
Omnis anima rationalis est immortalis
minus extremum *maius extremum.*
Ergo nulla anima rationalis, est corruptibilis;

DE REDVCTIONE SYLLOGISMORVM.

REDVCTIO Syllogismi imperfecti ad perfectos, duplex est, *n. ostensiua*, & *per incommodum*, *s. ad impossibile.*

REDVCTIO ostensiua, est ea quâ conclusio Syllogismi imperfecti eruitur viâ directâ in modo perfecto.

EA *fit solâ propositionum transpositione*, *v. conuersione*, *v. vtrâque simul.*

De conuersione egimus.

Transpositio propositionum, est dum prima præmissarum fit secunda, *v.* vicissim, vt si *Camestres*, p.

Omne animal est viuens
Nullus lapis est viuens

Transpositione minoris reducas ad Cesare hoc Pacto.

Nullus lapis est viuens
Omne animal est viuens

Quanam propositiones debeant transponi, vel conuerti disces hoc duplici versu.

S *vult simpliciter verti*, p. *verò per acci.*
M. *vult transponi*, C. *per impossibile duci*

Idest propositio illius modi in quâ reperitur S, debet conuerti conuersione simplici.

Ea, in quâ reperitur littera *P*, debet conuerti conuersione per accidens.

Propositio illius modi in quâ reperitur littera M. debet transponi. Ista liquent ex

FAP- Omnis homo est animal
ESM- Nullus equus est homo
O. Ergo aliquod animal non est equus.

Fap. designat, primò quod hic Syllogismus incipiens per literam P. reducendus sit ad Ferio. A significat hanc primam propositionem esse vniuersalem affirmantem. P. autem denotat hanc propositionem conuertendam esse conuersione simplici, omnis homo est animal, sic *aliquod* animal est homo.

EsM. indicat per E, propositionem esse vniuersalem negantem, per S. conuertendam esse conuersione simplici, non dicendo, nullus Equus est homo, sed *nullus homo est equus*, per M. transponendam esse propositionem. Quamobrem habes Syllogismum reductum.

FE- Nullus homo est equus
RI- Aliquod animal est homo
O. Ergo aliquod animal non est equus.

Propositio modi in quâ littera, C, *p.* in Bocardo de

do designat illum debere reduci per impossibile.

Deductio Ad Imposibile est eâ quâ quis cogitur admittere conclusionem contrariam, *v.* contradicentem propositioni à se iam concessæ.

Deductio *ad impossibile*, vocatur *deductio per incommodum*, quâ indirectè probamus propositionem ab aduersario negatam.

Vt deducas ad impossibile eum qui negat propositionem Syllogismi à te propositi, p. in Baroco.

Omne animal est viuens
Aliquis lapis non est viuens
Ergo aliquis lapis non est animal.

1. Debes animaduertere cuiusnam figuræ sit Syllogismus à te reducendus, p. Baroco *n.* quod sit secundæ figuræ.

Deinde assumas contradictionem conclusioni negatæ, veram iudicio aduersarii, p.

Omnis lapis est animal,

Nam inter duo contradictoria non datur medium iudicio eius qui mentis est compos, tum assumes aliquam è priori Syllogismo, p.

Omne animal est viuens.

Vt jam concessam, & sic facilè infers hanc conclusionem, in Barbara.

Ergo omnis lapis est viuens.

Quanam, propositio retineri, *v.* reticeri, aut quomodo debeat cum contradictione admissâ ordinari docent hi versus.

Maior fit minor, & fit contradictio maior.
Excipe Celantes in quo peruertitur ordo.
Seruat maiorem, variatque secunda minorem.

uariat, ...
dictoria Conclusionis

Tertia maiorem variat seruatque minorem.

Maior *fit minor &c.* Ideſt

In primâ figurâ in modis indirectis *maior propoſitio* Syllogiſmi reducendi fit *minor* Syllogiſmi reducti, & contradictio admiſſa fit maior. *Sic in*

BA- *Omne animal eſt viuens.*
RA- Omnis homo eſt animal
LIP. Ergo aliquod viuens eſt homo.

Ita dicendo in maiori *nullum viuens eſt homo*, quæ eſt contradictio concluſionis Syllogiſmi reducendi.

In minori *omne animal eſt viuens*, quæ eſt maior Syllogiſmi reducendi, & ſic habes hunc Syllogiſmum reductum in

CE- *Nullum viuens eſt homo*
LA- *Omne animal eſt viuens*
RENT. *Ergo nullum animal eſt homo.*

Cuius concluſio eſt contraria minoris admiſſæ. *Excipe Celantes in quo peruertitur ordo.*

Id eſt in iſto modo *contradictio* fit *minor* & minor fit maior, ſic

CE- Nullum animal eſt planta
LAN- Omne *quadrupes eſt animal*
TES. *Ergo nulla planta eſt quadrupes.*

Dicendo ſic *omne quadrupes eſt animal* quæ eſt *minor* Syllogiſmi reducendi, & fit *maior* reducti, & *aliqua planta eſt quadrupes* quæ eſt *contradictio* Concluſionis Syllogiſmi reducendi quæ fit *minor* Syllogiſmi reducti, & ſic habetur hic Syllogiſmus reductus *in*

DA- Omne quadrupes eſt animal
RI- Aliqua planta eſt quadrupes
I. Ergo aliqua planta eſt animal.

Cuius concluſio eſt contradictio maioris admiſſæ ab aduerſario in priori Syllogiſmo reducente.

Seruat maiorem &c. Id eſt in ſecundâ figurâ, Maior ſeruatur, & contradictio fit minor ſic

CA- Omne animal eſt viuens
MES- Nullus lapis eſt viuens
TRES. Ergo nullus lapis eſt animal.

Dicendo in maiori Syllogiſmi reducti *omne animal eſt viuens* quæ eſt maior Syllogiſmi reducendi *omnis lapis eſt animal*. Quæ eſt contradictio concluſionis Syllogiſmi reducendi; & ſic habebitur hic Syllogiſmus reductus *in*

BAR- *Omne animal eſt viuens*
BA- *Omnis lapis eſt animal*
RA *Ergo omnis lapis eſt viuens.*

Quæ *concluſio* eſt contraria minoris conceſſæ.

In tertiâ figurâ *contradictio* fit maior, & minor remanet.

DA- Omne animal eſt viuens
RAP- Omne animal eſt ſenſitiuum
TI. Ergo aliquod ſenſitiuum eſt viuens.

Dicendo hâc ratione *nullum ſenſitiuum eſt viuens* quæ eſt contradictio concluſionis Syllogiſmi reducendi, & maior propoſitio Syllogiſmi reducti, *omne animal eſt ſenſitiuum*, quæ eſt minor vtriuſque Syllogiſmi, & ita habebitur iſte Syllogiſmi *in*

Ce- la- rent. { Nullum sensitiuum est viuens
Omne animal est sensitiuum
Ergo nullum animal est viuens.

Quæ *conclusio* est contraria maioris concessæ.

DE EXAMINE SYLLOGISMORVM.

EXPENDVNTVR Syllogismi præceptis communibus, tum propriis.

REGVLÆ GENERALES *SYLLOGISMORVM.*

SYLLOGISMVS constet tantùm tribus terminis implicitè, v. explicitè ritè ad concludendum ordinatis. Vnde vitiosus est hic Syllogismus.

{ Omnis mus rodit
Aliqua Syllaba est mus
Ergo aliqua Syllaba rodit.

Nullus terminus sit in consequente, qui non fuerit in antecedente. Vnde hic Syllogismus non valet

{ Omne animal est viuens
Omnis homo est animal
Ergo omnis homo pictus est viuens

Medium nunquam ingrediatur conclusionem, probaretur enim idem per seipsum; tum quia est mensura quâ probatur attributum conclusionis subiecto inesse, v. non inesse, mensura præcedere debet conclusionem.

MEDIVM debet distributiuè sumi in alterâ præmissarum, idest sumi vniuersaliter quare hic Syllogismus non concludit

Aliquod animal est quadrupes
Omnis homo est animal
Ergo aliquis homo est quadrupes.

Imo nullus terminus distribuatur in consequente qui non fuerit distributus in antecedente.

Signum vniuersalitatis affirmans, *omne*, distribuit solum subiectum, p. in istâ propositione.

Omne animal est viuens.

OMNE, distribuit *animal*, non *viuens*.

Signum vniuersalitatis negans distribuit subiectum, & attributum; vt in illâ propositione *nullum animal est planta*, Nullum, distribuit *animal* simul, & *plantam*.

Signum particularitatis Aliquis, Nonnullus, quia est affirmans nihil distribuit.

Signum particularitatis negans distribuit subiectum, & attributum, vt *non aliquod animal est lapis* Non Aliquod distribuit *lapidem*, & *animal*.

Ex puris negatiuis, aut particularibus nihil concluditur vi formæ. Hinc non valent isti Syllogismi.

Nullus Equus est planta
Nullum vegetans est equus
Ergo nullum vegetans est planta.

Aliquis homo est albus
Quilibet Æthiops est homo
Ergo quilibet Æthiops est albus.

CONCLVSIO sequatur debiliorem partem; si enim altera præmissarum sit *negans*, aut *particularis* conclusio sit *negans* vel *particularis* si vna præmis-

ſarum ſit negans, & altera particularis, *concluſio* ſit ſimul negans, & particularis, vt patet in Ferio

Particularitas deterior eſt vniuerſalitate; negatio affirmatione. Hinc non valent iſti Syllogiſmi.

Nullum animal eſt lapis
Omnis homo eſt animal
Ergo omnis homo eſt lapis.

Omnis homo eſt rationalis
Aliquod animal eſt homo,
Ergo omne animal eſt rationale.

Ex quouis, non quodvis, concluditur: ex quâuis enim causâ quilibet effectus non producitur, nec ex quouis ligno Mercurius, vnde non valet concludere, *Sol lucet*, ergo *plantæ folijs nudantur*; licet, & ſol luceat, & plantæ foliis nudentur.

PRÆCEPTA PECVLIARIA SYLLOGISMORVM.

DVO ſunt propria cuilibet figuræ.

IN primâ figurâ *maior ſit vniuerſalis*: alioqui medium non diſtribueretur. Hinc nullus eſt hic Syllogiſmus.

Aliquod animal eſt equus
Omnis leo eſt animal
Ergo aliquis leo eſt equus.

MINOR *ſit affirmans*; alioqui maius extremum diſtribueretur in concluſione, non diſtributum in antecedente; vt patet

Omnis leo eſt viuens
Nullus homo eſt leo.
Ergo nullus homo eſt viuens.

In secundâ figurâ *maior sit vniuersalis*, quia maius extremum distribueretur in consequente, non distributum in antecedente, p.

{ Aliquod viuens non est planta:
Omnis arbor est planta:
Ergo aliqua arbor non est viuens.

Ex *puris affirmantibus nihil sequitur vi formæ*. Vnde non valet dicere

{ Beatitudo est iucunda
Voluptas corporis est iucunda
Ergo voluptas corporis est beatitudo.

In *tertiâ figurâ sit minor affirmans*, vnde vitiosus est hic Syllogismus.

{ Omne saccarum est dulce
Nullum saccarum est lac
Ergo nullum lac est dulce.

Conclvsio *sit specialis*: vnde non valet iste Syllogismus.

{ Omnis homo est substantia
Omnis homo est rationalis
Ergo omnis substantia est rationalis.

DE SPECIEBVS SYLLOGISMORVM.

SYLLOGISMVS multiplex est ratione figuræ, & modi de quibus supra.

Modi Syllogismorum, præsertim sunt

Perfecti, in quibus *n.* consequentiæ bonitas naturali lumine apparet; vt sunt soli quatuor primæ figuræ qui *directi* dicuntur, quia constant propositionibus directis, itaut maius extremum attribuatur in maiori, & conclusione; minus extremum in vtrâque subiiciatur; vt

Maior propositio ea, est in quâ majus extremum conjungitur cum medio; vt in superiori syllogismo.

Omnis virtus est honesta, &c.

Minor, est ea in quâ minus extremum reperitur cum medio, vt in exemplo allato

Iustitia est virtus, &c.

Vtraque propositio dicitur *Antecedens*, quod conclusionem inferat.

Conclusio est ea, in quâ conjungitur minus extremum cum majori; vt patet in præcedenti syllogismo.

Dicitur consequens quia infertur, s. sequitur ex maiori, & minori propositione.

Propositio probanda, dicitur, *quæstio*, s. *problema*; *probata*, vocatur, *conclusio*.

Maior, dicitur, *propositio* simpliciter; quia vt plurimùm in eâ sunt principia quæ solùm egent proponi, non probari.

Minor, dicitur, *assumptio*, quia vt plurimùm in eâ minus extremum assumitur è maiori; vt pars è toto; vt patet ex priori syllogismo, vbi n. *Iustitia* est pars *virtutis* s. *particularis virtus*.

Maior & *minor* dicuntur *præmissæ*; quod conclusioni præmittantur.

Conclusio est propositio probata, & collecta ex duabus præmissis, vnde rectè dicitur *complexio* & *summa* totius ratiocinij.

DE INVENTIONE MEDII.

AD inueniendam syllogismi materiam sufficit reperire *solum medium*: nam duo alij termini semper præsto sunt, scilicet *maior*, & *minor* ex quibus constat *quæstio*; vt dum quæritur, *an*, & *cur* Angelus sit immortalis; in promptu sunt *Angelus*, qui est *minor*, & *immortalis*, qui est *maior terminus*, itaque requiritur solùm; vt quæstio probetur, s. quod MEDIVM inueniatur; id vt fiat.

In probandis problematibus affirmatiuis quærenda est ratio cur *attributum* conueniat *subiecto* sic

Vt probes quod Angelus sit immortalis; *spiritale* est legitimum *medium*, quia est id quod verè debet responderi dum quæritur cur *Immortalitas* conueniat *Angelo*.

In probandis conclusionibus negatiuis, inuestiganda est ratio cur *attributum subiecto*; vel *subiectum* repugnet *attributo*, sic

Vt concludatur quod Angelus non sit corruptibilis, *mixtum*, vel *spiritale*, est legitimum medium: quia *mixtum*, est ratio demonstrans *corruptibile* non conuenire *Angelo*: *spiritale*, verò est ratio arguens repugnantiam *Angeli* cum *corruptibili*.

In probandis quæstionibus affirmatiuis, *medium* sit *antecedens* attributi, *consequens* subiecti; sic *animal*, est legitimum medium quo probetur *viuens* de *homine*.

In probandis conclusionibus negatiuis *medium* sit *consequens* subiecti, *repugnans* attributo, *v. con-*

ſequens attributi, *repugnans* ſubiecto, ſic.

Vt concludatur quod *Angelus* non ſit *corruptibilis*, *mixtum* eſt legitimum medium, quia eſt *conſequens* Angeli, *repugnans* corruptibili.

Ad inueniendam accuratam rationem cur attributum inſit *v.* non inſit ſubiecto requiritur.

Solers animi ſagacitas, ſtudium, vſus, & exercitatio in diſſerendo ex arte, tum neceſſe eſt ſcire quid ſint termini ANTECEDENS, CONSEQVENS, REPVGNANS, *de quibus ſupra.*

OMNE SVPERIVS eſt CONSEQVENS; vt animal reſpectu *hominis*.

OMNE INFERIVS eſt ANTECEDENS; vt *homo* reſpectu *animalis*.

OMNE Reciprocum eſt promiſcuè *Antecedens*, *v. Conſequens*; vt *homo* & *rationale*.

OMNIS Terminus, Incompatibilis cum altero eſt *Repugnans*; vt *homo*, & *Planta*.

Sciendum eſt deinde quodnam ſit legitimum demonſtrationis medium.

MEDIVM Demonſtrationis eſt *Definitio*.

Quodlibet cauſarum genus eſt etiam medium demonſtrationis à priori: ſicut quilibet effectus eſt medium demonſtrationis à poſteriori: cum autem demonſtratio non ſit mediocris rationis perfectio, is quippe eſt, inquit Poëta

Fœlix qui potuit rerum dignoſcere cauſas.

Maxima debet eſſe Logico demonſtrationis cura.

DE FORMA SYLLOGISMI.

FORMA Syllogiſmi, eſt diſpoſitio terminorum, *v.* propoſitionum ad concludendum idonea; eſtque *figura*, *v. modus*.

FIGVRA, est apta dispositio medij, cum extremis ad ritè concludendum; *estque triplex*, *p.*

PRIMA, in quâ *medium* subjicitur in *majori*, & prædicatur in *minori*; vt

{ Omne animal est viuens
Omnis homo est animal
Ergo omnis homo est viuens.

SECVNDA, in quâ *medium* prædicatur in vtrâque præmissarum; vt

{ Nullus Angelus, est corruptibilis
Omne mixtum, est corruptibile
Ergo nullum mixtum est Angelus.

TERTIA, in quâ *medium* subjicitur in vtrâque præmissarum; vt

{ Omnis simia æmulatur hominem
Omnis simia est bellua
Ergo aliqua bellua æmulatur hominem.

Dispositionem medij cum extremis hoc versiculo disces.

Sub. Præ. *prima* : *secundaque bis* Præ. *tertia* [*bis* Sub.

MODVS, est dispositio propositionum ad concludendum idonea.

Modi sunt nouemdecim, nempe quatuor directi primæ figuræ quibus præsertim vtendum est; & præcipuè duobus primis; vt potè ad sciendum aptioribus; cum sint vniuersales; tum quod sint perfectissimi, quia ijs nihil addi, nec quidquam ab ijs detrahi potest : ars autem moliri debet id quod est optimum, cum sit imitatio naturæ.

Quatuor modi directi primæ figuræ sunt.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio,
Quinque indirecti sunt - Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Quatuor secundæ figuræ sunt.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco.
Sex tertiæ figuræ sunt -Darapti;
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Prima Syllaba *maiorem*, secunda *minorem*; tertia *conclusionem* designat. Quod si plures reperiantur; vt in BARALIP*ton*, vltimæ sunt metri, non significationis gratiâ.

Omnes modi incipiunt per B. C. D. F., & imperfecti qui incipiunt per B. nisi aliquid obsit; vt C. in BaroCo, & BoCardo, debent reduci ad Barbara; vt Baralipton, qui per C. *vt* Celantes, Cesare, &c. ad Celarent, qui per D. *vt* Dabitis, Disamis &c. ad Darij. Qui per F. vt Fapesmo, Felapton &c. ad Ferio.

Constant quatuor vocalibus A, E, I, O, quarum valor notus est.

Media consonantes sunt S. P. M. C. quarum vsus docebitur modò.

Omnes modi à quatuor primis sunt imperfecti, quia indirectè concludunt; hinc obscurior est eorum concludendi necessitas; vndè debent ad quatuor primos modos primæ figuræ reuocari, in ijs quippe perfectè probantur omnia problematum genera, idest *vniuersalia*, *particularia*; *affirmatiua*, *negatiua*. Quamobrem quâ ratione in eâ termini inter se disponantur, præstat ampliori ratione exponere.

In *Modis directis prima figura.*

MEDIVM ſubjiciatur in *maiori*, Maius Extremum attribuatur.

MINVS extremum ſubiiciatur in *minori*; Medium attribuatur.

MINVS Extremum ſubiiciatur in *concluſione*, Maius Extremum attribuatur, *v. g.*

medium *maius extremum.*
Nullum immortale eſt corruptibile
minus extremum *medium*
Omnis anima rationalis eſt immortalis
minus extremum *maius extremum.*
Ergo nulla anima rationalis, eſt corruptibilis;

DE REDVCTIONE SYLLOGISMORVM.

REDVCTIO Syllogiſmi imperfecti ad perfectos, duplex eſt, *n. oſtenſiua*, & *per incommodum*, ſ. *ad impoſſibile*.

REDVCTIO oſtenſiua, eſt ea quâ concluſio Syllogiſmi imperfecti eruitur viâ directâ in modo perfecto.

EA *fit ſolâ propoſitionum tranſpoſitione*, *v. conuerſione*, *v. vtrâque ſimul.*

De conuerſione egimus.

Tranſpoſitio propoſitionum, eſt dum prima præmiſſarum fit ſecunda, *v.* viciſſim, vt ſi *Cameſtres*, p.

Omne animal eſt viuens
Nullus lapis eſt viuens

Tranſpoſitione minoris reducas ad Ceſare hoc Pacto.

Nullus lapis est viuens
Omne animal est viuens

Quænam propositiones debeant transponi, vel conuerti disces hoc duplici versu.

S *vult simpliciter verti*, p. *verò per acci.*
M. *vult transponi*, C. *per impossibile duci*

Idest propositio illius modi in quâ reperitur S, debet conuerti conuersione simplici.

Ea, in quâ reperitur littera *P*, debet conuerti conuersione per accidens.

Propositio illius modi in quâ reperitur littera M. debet transponi. Ista liquent ex

FAP- Omnis homo est animal
ESM- Nullus equus est homo
O. Ergo aliquod animal non est equus.

Fap. designat, primò quod hic Syllogismus incipiens per literam P. reducendus sit ad FERIO. A significat hanc primam propositionem esse vniuersalem affirmantem. P. autem denotat hanc propositionem conuertendam esse conuersione simplici, omnis homo est animal, sic *aliquod* animal est homo.

ESM. indicat per E, propositionem esse vniuersalem negantem, per S. conuertendam esse conuersione simplici, non dicendo, nullus Equus est homo, sed *nullus homo est equus*, per M. transponendam esse propositionem. Quamobrem habes Syllogismum reductum.

FE- Nullus homo est equus
RI- Aliquod animal est homo
O. Ergo aliquod animal non est equus.

Propositio modi in quâ littera, C, p. in Bocardo de

do designat illum debere reduci per impossibile.

Deductio Ad Imposibile est eâ quâ quis cogitur admittere conclusionem contrariam, *v.* contradicentem propositioni à se iam concessæ.

Deductio *ad impossibile*, vocatur *deductio per incommodum*, quâ indirectè probamus propositionem ab aduersario negatam.

Vt deducas ad impossibile eum qui negat propositionem Syllogismi à te propositi, p. in Baroco.

Omne animal est viuens
Aliquis lapis non est viuens
Ergo aliquis lapis non est animal.

1. Debes animaduertere cuiusnam figuræ sit Syllogismus à te reducendus, p. Baroco *n.* quod sit secundæ figuræ.

Deinde assumas contradictionem conclusioni negatæ, veram iudicio aduersarii, p.

Omnis lapis est animal,

Nam inter duo contradictoria non datur medium iudicio eius qui mentis est compos, tum assumes aliquam è priori Syllogismo, p.

Omne animal est viuens.

Vt jam concessam, & sic facilè infers hanc conclusionem, in Barbara.

Ergo omnis lapis est viuens.

Quanam, propositio retineri, *v.* reticeri, aut quomodo debeat cum contradictione admissâ ordinari docent hi versus.

Maior fit minor, & fit contradictio maior.
Excipe Celantes in quo peruertitur ordo.
Seruat maiorem, variatque secunda minorem.

O

...riat, ...

...dictoria Conclusionis

Tertia maiorem variat seruatque minorem.

MAIOR *fit minor &c.* Ideſt

In primâ figurâ in modis indirectis *maior propoſitio* Syllogiſmi reducendi fit *minor* Syllogiſmi reducti, & contradictio admiſſa fit maior. *Sic in*

BA- | *Omne animal eſt viuens.*
RA- | Omnis homo eſt animal
LIP. | Ergo aliquod viuens eſt homo.

Ita dicendo in maiori *nullum viuens eſt homo*, quæ eſt contradictio concluſionis Syllogiſmi reducendi.

In minori *omne animal eſt viuens*, quæ eſt maior Syllogiſmi reducendi, & ſic habes hunc Syllogiſmum reductum in

CE- | *Nullum viuens eſt homo*
LA- | *Omne animal eſt viuens*
RENT. | *Ergo nullum animal eſt homo.*

Cuius concluſio eſt contraria minoris admiſſæ.

Excipe Celantes in quo peruertitur ordo.

Id eſt in iſto modo *contradictio* fit *minor* & minor fit maior, ſic

CE- | Nullum animal eſt planta
LAN | Omne *quadrupes eſt animal*
TES. | *E rgo nulla planta eſt quadrupes.*

Dicendo ſic *omne quadrupes eſt animal* quæ eſt *minor* Syllogiſmi reducendi, & fit *maior* reducti, & *aliqua planta eſt quadrupes* quæ eſt *contradictio* Concluſionis Syllogiſmi reducendi quæ fit *minor* Syllogiſmi reducti, & ſic habetur hic Syllogiſmus reductus *in*

DA- Omne quadrupes est animal
RI- Aliqua planta est quadrupes
I. Ergo aliqua planta est animal.

Cuius conclusio est contradictio maioris admissæ ab aduersario in priori Syllogismo reducente.

Seruat maiorem &c. Id est in secundâ figurâ, Maior seruatur, & contradictio fit minor sic

CA- Omne animal est viuens
MES- Nullus lapis est viuens
TRES. Ergo nullus lapis est animal.

Dicendo in maiori Syllogismi reducti *omne animal est viuens* quæ est maior Syllogismi reducendi *omnis lapis est animal*. Quæ est contradictio conclusionis Syllogismi reducendi; & sic habebitur hic Syllogismus reductus *in*

BAR- *Omne animal est viuens*
BA- *Omnis lapis est animal*
RA *Ergo omnis lapis est viuens.*

Quæ *conclusio* est contraria minoris concessæ. In tertiâ figurâ *contradictio* fit maior, & minor remanet,

DA- Omne animal est viuens
RAP- Omne animal est sensitiuum
TI. Ergo aliquod sensitiuum est viuens.

Dicendo hâc ratione *nullum sensitiuum est viuens* quæ est contradictio conclusionis Syllogismi reducendi, & maior propositio Syllogismi reducti, *omne animal est sensitiuum*, quæ est minor vtriusque Syllogismi, & ita habebitur iste Syllogismi *in*

Ce- la- rent. { Nullum ſenſitiuum eſt viuens
Omne animal eſt ſenſitiuum
Ergo nullum animal eſt viuens.

Quæ *concluſio* eſt contraria maioris conceſſæ.

DE EXAMINE SYLLOGISMORVM.

EXPENDVNTVR Syllogiſmi præceptis communibus, tum propriis.

REGVLÆ GENERALES *SYLLOGISMORVM*.

SYLLOGISMVS conſtet tantùm tribus terminis implicitè, *v.* explicitè ritè ad concludendum ordinatis. Vnde vitioſus eſt hic Syllogiſmus.

{ Omnis mus rodit
Aliqua Syllaba eſt mus
Ergo aliqua Syllaba rodit.

Nullus terminus ſit in conſequente, qui non fuerit in antecedente. Vnde hic Syllogiſmus non valet

{ Omne animal eſt viuens
Omnis homo eſt animal
Ergo omnis homo pictus eſt viuens

Medivm nunquam ingrediatur concluſionem, probaretur enim idem per ſeipſum; tum quia eſt menſura quâ probatur attributum concluſionis ſubiecto ineſſe, *v.* non ineſſe, menſura præcedere debet concluſionem.

MEDIVM debet distributiuè sumi in alterâ præmissarum, idest sumi vniuersaliter quare hic Syllogismus non concludit

Aliquod animal est quadrupes
Omnis homo est animal
Ergo aliquis homo est quadrupes.

Imo nullus terminus distribuatur in consequente qui non fuerit distributus in antecedente.

Signum vniuersalitatis affirmans, *omne*, distribuit solum subiectum, p. in istâ propositione.

Omne animal est viuens.

OMNE, distribuit *animal*, non *viuens*.

Signum vniuersalitatis negans distribuit subiectum, & attributum; vt in illâ propositione *nullum animal est planta*, Nullum, distribuit *animal* simul, & *plantam*.

Signum particularitatis Aliquis, Nonnullus, quia est affirmans nihil distribuit.

Signum particularitatis negans distribuit subiectum, & attributum, vt *non aliquod animal est lapis* Non Aliquod distribuit *lapidem*, & *animal*.

Ex puris negatiuis, aut particularibus nihil concluditur vi formæ. Hinc non valent isti Syllogismi.

Nullus Equus est planta
Nullum vegetans est equus
Ergo nullum vegetans est planta.

Aliquis homo est albus
Quilibet Æthiops est homo
Ergo quilibet Æthiops est albus.

CONCLVSIO sequatur debiliorem partem; si enim altera præmissarum sit *negans*, aut *particularis* conclusio sit *negans* vel *particularis* si vna præmis-

In ſecundâ figurâ *maior ſit vniuerſalis*, quia maius extremum diſtribueretur in conſequente, non diſtributum in antecedente, p.

Aliquod viuens non eſt planta:
Omnis arbor eſt planta:
Ergo aliqua arbor non eſt viuens.

Ex *puris affirmantibus nihil ſequitur vi forma.* Vnde non valet dicere

Beatitudo eſt iucunda
Voluptas corporis eſt iucunda
Ergo voluptas corporis eſt beatitudo.

In *tertiâ figurâ ſit minor affirmans*, vnde vitioſus eſt hic Syllogiſmus.

Omne ſaccarum eſt dulce
Nullum ſaccarum eſt lac
Ergo nullum lac eſt dulce.

Conclvsio *ſit ſpecialis*: vnde non valet iſte Syllogiſmus.

Omnis homo eſt ſubſtantia
Omnis homo eſt rationalis
Ergo omnis ſubſtantia eſt rationalis.

DE SPECIEBVS SYLLOGISMORVM.

SYLLOGISMVS multiplex eſt ratione figuræ, & modi de quibus ſupra.

Modi Syllogiſmorum, præſertim ſunt

Perfecti, in quibus *n.* conſequentiæ bonitas naturali lumine apparet; vt ſunt ſoli quatuor primæ figuræ qui *directi* dicuntur, quia conſtant propoſitionibus directis, itaut maius extremum attribuatur in maiori, & concluſione; minus extremum in vtrâque ſubiiciatur; vt

BAR- Omne rationale eſt admiratiuum
BA- Omnis homo eſt rationalis
RA. Ergo omnis homo eſt admiratiuus.

IMPERFECTI ſunt in quibus conſequentiæ bonitas obſcuriùs apparet, quod indirectè concludant: non enim maius & minus extremum diſponuntur in concluſione; vt in præmiſſis.

Licet modi ſecundæ, & tertiæ figuræ indirectè concludant, tamen non ſimpliciter dicuntur *indirecti*, quia non ita *indirectè* concludunt, quam qvinque vltimi modi primæ figuræ, nam in iis maius extremum eſt ſubiectum concluſionis, minus extremum eſt attributum. Vnde fit quod inferius dicatur de ſuperiori; ſpecies de differentiâ; ſubiectum de formâ; vt patet in

BA- Omne animal eſt viuens
RA- Omnis homo eſt animal
LIP. Ergo aliquod viuens eſt homo.

Syllogiſmus ratione materiæ eſt.
Demonſtratiuus ſ. ſcientificus.

Demonſtratio, eſt à *priori* per quam probatur effectus per cauſam, vt *admiratiuum* de *homine* per *rationale*.

Vel à *poſteriori*, per quam probatur cauſa per effectum; vt *rationale* per *admiratiuum*.

Demonſtratio eſt ὅτι, QVIA, quæ probat cauſam per effectum, *v.* effectum per cauſam remotam vt ſi quis probet non eſſe Tibicines apud Scythas; quod non ſint vites.

Demonſtratio διότι, Propter Quid, quæ ſola apicem tenet inter demonſtrationes, cum ſit vera, & vnica demonſtratio pariens mentis quietem. Eſt

Syllogismus constans propositionibus reciprocis, f. quarum attributum conueniat *omni* subiecto *per se*, & *quatenus ipsum*; vt hæc

Omne rationale est discursiuum ex sensibus
Omnis homo est rationalis
Ergo omnis homo est discursiuus ex sensibus.

Syllogismus probabilis, Topicus, Dialecticus, Opinatiuus, est is qui constat præmissis probabilibus, *v.* alterâ præmissarum probabili; vt

Omne animal diligit sibi simile.
Omnis homo est animal.
Ergo omnis homo diligit sibi simile.

Omne quod supernatat est leue
Suber supernatat:
Ergo suber est leuis.

Syllogismus Sophisticus, est is qui constat propositionibus apparenter veris: estque *v.*

Pseudographus qui mentitur demonstrationem. *p.*

Naturalissimum *est* optimum
Voluptas *est* naturalissima:
Ergo voluptas est optima.

Sophisticus simpliciter est is qui præsefert Syllogismi Topici speciem; vt

Quod à pluribus probatur est rectum,
Fraus inter vendendum à pluribus probatur
Ergo fraus inter vendendum est recta

Sophisma falsis constat prositionibus.

Probabile, est quod videtur omnibus, vel plerisque, *v.* sapientibus, atque his; *v.* omnibus

v. plerisque, *v.* maximè notis, & claris.

Syllogismus iterum est

Communis / Expositorius	cuius medium est	Commune / Singulare
Absolutus / Modalis	cuius propositiones sunt	absolutæ / modales.
Simplex / Complexus	qui constat propositionibus.	simplicibus / complexis.

Complexus, est is cuius tota vis pendet ab vnâ propositione; estque *v.*

Conditionalis, *causalis*, *disiunctiuus*, *copulatiuus*, *& per analogiam*.

Conditionalis; est is qui affectus est particulâ conditionali SI, NISI.

Eo non vtetur peritus Logicæ nisi dum argumentabitur ex hypothesi admissâ ab aduersario, nec quidquam enim aliter vi formæ concludit, p.

Si homo est animal est sensitiuus
Sed homo est animal
Ergo homo est sensitiuus.

Ea siquidem ratio dicendi obscurior est, & seruatâ eâdem formâ, potest sequi falsum, vt si dicas

Si homo est animal est equus
Sed homo est animal
Ergo homo est equus.

Syllogismus *causalis*, est is qui constat propositionibus affectis particulâ causali (IDEO) vt si quis ita loquatur.

Ideo homo eſt admiratiuus quia eſt rationalis.
Sed omne admiratiuum eſt diſciplinæ capax.
Ergo homo ideo eſt diſciplinæ capax quia eſt rationalis.

Non valet illud argumentum, niſi in argumentis ad hominem, & ex conceſſis ab aduerſariis: tum quia obſcurior, prolixior, & deceptorius, poteſtque ferè ſemper per abſolutum efferri, vt ſuperior dicendo

Omne rationale eſt diſciplinæ capax
Omnis homo eſt rationalis:
Ergo omnis homo eſt diſciplinæ capax.

Syllogiſmus *diſiunctiuus*, eſt is cuius tota vis pendet ex propoſitione diſiunctiuâ, p.
Homo eſt animal rationale, *v.* irrationale
Homo non eſt animal irrationale
Ergo homo eſt animal rationale.

Logico eſt neceſſarius; licet quandoque ſit cauillatorius; vt

v. Homo eſt aſinus, *v.* non eſt aſinus
Sed homo non eſt aſinus:
Ergo homo eſt aſinus.

Copulatiuus, eſt cuius vis pendet à propoſitione copulatiuâ; vt

Numerus non eſt par ſimul, & impar
Numerus binarius eſt par
Ergo numerus binarius non eſt impar.

Syllogiſmus *per comparationem*, is eſt in quo vnum de alio paritate probatur, non rejiciendus ſed in ſcholis retinendus: *analogia* quippe licet remotum

est instrumentum sciendi vt patet hoc Syllogismo.

Se habent bonæ leges ad Rempublicam vt
Fundamenta ad ædificum.
Fundamenta fulciunt ædificium
Ergo bonæ leges fulciunt Rempub.

Syllogismus iterum est *Logicus*, *v.* constans tantùm tribus propositionibus claris, conscisis, quantùm fieri potest absolutis, & necessarijs; vt

Omne par est diuiduum in duas partes æquales.
Binarius est par
Ergo binarius est diuidus in duas partes æquales.

v. Rhetoricus, qui constat majori, & si necesse est, maioris probatione, minori, & eius probatione, tum elicit conclusionem. vt

Quod appetitur naturaliter haberi potest
Appetitus *enim* naturalis non fertur ad impossibile.
Virtus appetitur naturaliter ab homine
Est *enim* vltimum ipsius complementum
Ergo virtus haberi potest ab homine.

TRACTATVS QVARTVS ET VLTIMVS.

DE METHODO.

METHODVS est ordo *discenda*, *v. docendæ* disciplinæ.

Dicitur via breuis, quia citò, & tutò eius ope

possumus ad scientiarum adeptionem peruenire.

Methodus, est quiuis mentis habitus ordinatè procedens.

Logica, dicitur etiam methodus, quia est organum sciendi, præscribens regulas bene differendi.

Propriè, est ordo definitionum, diuisionum, enuntiationum, & argumentationum idoneus ad disciplinam iustæ magnitudinis comparandam.

METHODVS, est *compositiua*, *resolutiua*, *inuentiua*, *dispositiua*.

Methodus *compositiua*; f. *Synthetica* dicitur *à principijs*, quia est progressus à simplicioribus ad composita, à partibus ad totum; p. à principijs, causis, proprietatibus ad species; & à speciebus simplicioribus ad magis compositas; vt in Compendio Physicæ obseruamus, vbi à materiâ, formâ, causâ finali, &c. ab affectionibus corporis naturalis ad corpus naturale; à corpore simplici ad mixtum; à mixto ad corpus animatum; à plantis ad belluas; & à belluis ad hominem progressi sumus.

DE METHODO RESOLVTIVA.

RESOLVTIVA, seu *analytica*, f. methodus ad principia, est progressio à compositis ad simplicia, à fine ad media, à toto ad partes: vt si exposito mundo vniuersim explicentur variæ corporum species.

Methodus inuentiua est; quâ occulta & obscura detegimus. Id fit

1. *Similitudine*, & dissimilitudine: nam cognito simili, & dissimili cognoscitur alterum simile, *v.*

dissimile : *similium* enim *similis ratio*, *dissimilium dissimilis*; vnde cognitâ animalitate hominis, cognoscitur animalitas bruti. Cognitâ rationalitate hominis, cognoscitur irrationalitas bruti.

2. *Proportione*, sic quis cognitâ definitione hominis, poterit cognoscere definitionem bruti, quia sicut vna constare debet genere proximo, & differentiâ maximè propriâ, ita & altera.

3. *Resolutione*, & distinctione; sic mirabilem corporis humani fabricam noscimus beneficio anathomiæ; sic cognoscimus omnium perfectionum genera per cuiuslibet indiuidui earum separationem, & distributionem in varias Categorias.

4. *Compositione*; nam totum est perfectio partium sicut & perfectio totius, est perfectio partium: vnde quis potest cognoscere naturam hominis ex compositione animæ rationalis cum corpore humano.

Ad *inueniendum*, requiritur sensuum sagacitas mentis acies, studium: volenti etenim nihil impossibile, sicut & nolenti nihil facilè: amor *enim* perficit cognitionem, *vt* cognitio excitat amorem.

DE METHODO DISPOSITIVA.

METHODVS *dispositiua*, est ea quâ inuenta in debitum sciendi ordinem digerimus.

Ad disponendum requiritur sermonis claritas, breuitas, ordinatio: obscuritas enim, prolixitas, & confusio sunt ignorantiæ effectus, & probatio.

Vitandæ igitur sunt periphrases, casuum nominis obliquitas, transpositio, & præposterus terminorum ordo. Vnde infantilis est ea discendi ra-

tio, qui fuit institutus à Deo; vt influeret hominum veluti caput in genus humanum quasi in membra debuit esse instructus omnium scientiarum supellectile: at Adam &c. sed rectius dices, primus homo habuit scientiam.

Ne bis dicatur id ipsum.

A notioribus, leuioribus, generalioribus ordiendum, & sic nihil inexplicatum relinquetur.

Seruandus est ordo naturæ, & disciplinæ quantùm fieri potest.

Quæ sunt priora ordine naturæ debent prius exponi, nisi obstet ordo disciplinæ, s. euidentiæ. Vnde Porphirius priùs egit de specie quam de differentia; & Aristoteles in Logicis priùs de relatione quam de qualitate: licet differentia, vt potè pars, sit prior ordine naturæ quam species, quæ est ipsius totum; & qualitas (vt potè quid absolutum) sit etiam prior relatione, sed quia relatorum notitia est coniungenda, cum ea se inuicem illustrnet. Idcirco rectius talis ordo à Porphyrio, & Aristotele fuit institutus.

Non sunt confundendæ methodi; sicut enim Theologus mysteria fidei ratnioe humanâ demoustrare non debet: nec Philosophus arcana naturæ reuelatione diuina probanda suscipere: non tamen *debemus mittere falcem in messem alienam*. Quæ sunt medica curent medici, tractent fabrilia fabri.

STATVS *quæstionis probè statuendus est*; nam vt plurimùm quæstionem intelligere, soluere est: tum quia nisi quis quæstionis sensum apprimè calleat, eam probare, *v.* improbare non potest.

De re quâlibet perfectè sciendâ quatuor tantùm quæstiones fieri possunt.

Prima AN SIT, vbi agitur de *nomine, possibilitate*, & eius *existentiâ*.

Secunda QVID SIT, vbi de *definitione*, *essentiâ*, *genere* & *differentia*, *materiâ*, *v. formâ*.

Tertia QVALIS SIT, vbi de *proprietatibus*.

Quarta PROPTER QVID SIT, vbi de *causis*.

Hæc methodus, quantùm exiget ordo disciplinæ, seruanda, & obseruanda in singulis quæstionibus pertractandis.

OFFICIA RESPONDENTIS *ET ARGVMENTANTIS.*

VTERQVE sit *docilis*, & Logicus; vt clarè certò, ordinatèque hic respondeat, ille argumentetur. Non sit *pertinax*, & *alogicus*, ne fortè principia, & veritatem agnitam temerè neget, non decet enim respondentem propugnare falsum, nec argumentantem, ex professò impugnare verum.

DISPVTATIO, est de veritate propositæ quæstionis disceptatio.

FINIS disputationis, non sit litigiosa, sed laudabilis mentis exercitatio, veritatisque inuestigandæ elucidatio.

DISPVTATIO est vetus, quæ fit Dialogis; vt apud Platonem, *v.* noua, quæ fit syllogismis; vt apud Aristotelem, illa deceptioni, hæc captioni nullomodo subest; illa commodior est aggredienti, hæc, sustinenti.

MVNVS

MVNVS ARGVMENTANTIS.

ARGVMENTANS oppugnet thesim destructione fundamenti ab aduersario positi, vel instantiâ obiectionis, donec ad contradictionem aduersarium deduxerit.

HINC puerile est eiusmodi disputationis initium dicendo *tua thesis est falsa*, ergo non est admittenda, quamobrem intellecto quæstionis agitandæ statu, ne sit disputatio de nomine *quæstio* aggredienda est.

Ludere sagaciter, non illudere licet, nihilominus ardor, languore præstat; attamen *ne quid nimis.* Ne non sit ostensio veritatis, sed ostentatio vanitatis.

Ne, medium varietur, quòd facilè vitatur dum quis non obsoletis & conditionatis sed absolutis, primæque figuræ Syllogismis quantùm fieri potest, & nunquam *Enthymematis*, nisi in resumptionibus vtatur.

Ne varijs loquendi modis varijsque vocibus idem significātibus multiplicet inutiles syllogismos, nam non mensurandi sed ponderandi sunt.

Curet etiam vt cum strictiùs argumentetur ne sensus varietur, vnde non captionibus decipere contendat aduersarium, sed necessarium Syllogismum adhibeat, vel saltem probabilē. Dum argumentatur ex concessis adhibeat argumentandi rationem cuius *medium* vt plurimùm sit *definitio*, non importunè & ad fastidium, sed opportunè disputet, & ad delectamentum, semperque procul absit *Æscrologia.*

P

MVNVS RESPONDENTIS.

RESPONDENS oderit tricas, triuialesque responsiones neque afferat sine necessitate & quasi intercalare carmen has distinguendi rationes *n.* materialiter, formaliter, reduplicatiuè, & similes non minus inutiles quam pueriles respondendi modos, hoc enim sapit eum qui difficultatis nodum non capit.

Propositiones Syllogismi *vera* sunt, *falsa*, vel *ambigua*.

Vera semper debent admitti. Harumque, inutile est rationem afferre, non enim probanda sunt ea de quibus non est *quæstio*.

Falsa debent semper negari earumque ratio afferri ne videaris quid temerè proferre, dum tamen propositio falsa non facit ad propositam difficultatem, & si negaretur, aliò *quæstio* diuerteretur non est absolutè neganda, sed falsitas eius solùm obiter indicanda. dum distinguis, & non subdistinguis debes semper priùs concedere veritatem, deinde negare falsitatem.

Ratio est quod affirmatio sequitur ens, negatio sequitur non ens, prius autem est ens quam non ens.

Deinde si incertò aliquando concedas priùs, aliquandò priùs neges, nullus erit certus distinguendi modus, quare poteris facilè inter respondendum interturbari.

Tum denique quia dum primò concedis, & deinde negas, qui aduersùs te argumentatur faciliori ratione tuam percipit responsionem, & clariori methodo procedit disputatio.

Eundem etiam obſeruabis & ſeruabis inter ſcribendum reſpondendi ordinem.

DE PARTIBVS RESPONSIONIS *INTER DISTINGVENDVM.*

QVINQVE ſunt partes reſponſionis dum ſoluitur & diſſoluitur Syllogiſmi ambiguitas vt patet hoc exemplo.

Obiectum ſcientiæ eſt neceſſarium
Logicæ obiectum non eſt neceſſarium
Ergo Logica non eſt ſcientia

Obiectum ſcientiæ eſt neceſſarium quoad eſſentiam concedo quoad exiſtentiam nego *maiorem.* Diſtinguo *minorem* Logicæ obiectum non eſt neceſſarium quod exiſtentiam concedo *minorem &c.*

QVINQVE PARTES DISTINCTIONIS.

I. EST DISTINCTIO.

Neceſſarium duplex eſt, quoad eſſentiam, vel quoad exiſtentiam.

II. EXPLICATIO.

Neceſſarium quoad exiſtentiam, eſt id quod ita eſt vt impoſſibile ſit non eſſe *neceſſarium quoad eſſentiam*, eſt id cui conuenit neceſſaria attributorum connexio, ita vt ſine iis eſſe nequeat *v. concipi* ſic homo neceſſariò eſt *animal.*

Hæ duæ reſponſionis partes ſunt extra Syllogiſmum ; tres verò ſequentes reſpiciunt vt plurimùm tres Syllogiſmi propoſitiones.

III. APPLICATIO.

Obiectum scientiæ equidem est *necessarium quoad essentiam*, scientia enim non est contingentium & arbitrariorum; at obiectum scientiæ non est *semper necessarium quoad existentiam*; alioqui de solo Deo daretur scientia. *Et ea pars pertinet ad maiorem propositionem.*

IV. ITERATA APPLICATIO.

Logicæ obiectum non est *necessarium quoad* existentiam, pendet enim à nobis vt sit vel non sit, est autem *necessarium quoad essentiam*. Nam habet necessariam attributi cum subiecto connexionem. p. quod *definitio sit clarior definito.*

V. CONCLVSIO CONTRADICTORIA.

Quamobrem Logica est scientia quia non vlterius est incommodum quàm dum, quis ad impossibile est redactus idcirco cum conclusisti contradictoriè contra aduersarium nihil tibi ampliùs tentandum est. *Et hac pars responsionis pertinet* ad minorem.

DEBES tantùm duas propositiones, eas *n.* in quibus reperitur terminus ambiguus distinguere; vt patet ex superiori exemplo.

Debes distinguere consequens non consequentiam nam distinguenda sunt tantum ambigua; ambiguitas autem tantùm est vocis vel orationis; cum ipsa consequentia non sit vox vel oratio, est enim solùm nexus antecedentis cum consequente, ipsum verò consequens sit propositio quæ ex aliâ deducatur, ideò solùm consequens est distinguendum, nun-

quam distinguenda consequentia.

Vnde *consequens* dicitur *verum*, *v Falsum* à Logicâ ;q. ipsa considerat veritatem signi præsertim orationis, dicitur *bona* vel *mala*, *consequentia*;non item *vera*, vel *falsa* quia est solùm *vera* vel *falsa veritate rei* quæ spectatur à Metaphysica.

Cum Logica sit veritatis illustratiua, & à primâ veritate deriuata, sit veritatis à quâ est omnis veritas manifestatiua.

EPILOGVS.

CVM SAPIENTIA, neque sit discentis, neque docentis, sed ipsam *largientis* DEI; etenim *omne donum optimum desursum est veniens à patre luminum*; Quamobrem precando magis quam studendo scientiam impetramus.

Vnde rectè Augusto Doctori CRVX *Christi morientis facta est* CATHEDRA *magistri docentis*. Nihilominus tamen beatus qui inuigilauerit (inquit sapientia) *ad postes hostij mei quotidie*; non enim dormientibus sed vigilantibus proposita est immarcescibilis gloriæ corona.

FINIS.

Ex Typographia VINCENTII DV MOVTIER, viâ Carmelitanâ, in monte S. Hilarij, sub signo Speculi.

INDEX
EORVM FERE' OMNIVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR

Littera I. *initium*, M. *medium*, F. *ferè finem paginæ designat*.

Index.

Index.

Index

Index.

FINIS.

NOS infrà scripti, in sacrâ Facultate Parisiensi Doctores Theologi, testamur legisse librum cui titulus est *Summa totius Philosophiæ*, *Authore* PETRO GODART, nec quicquam in eo deprehendisse quod bonis moribus, aut Religioni Catholicæ aduersetur. In cuius rei fidem subscripsimus. Datum Parisijs Die Lunæ 10. Augusti Anni Domini 1665.

ADR. LE VAILLANT.